



DISPUTATIO
DE LIBRO *JOSUAE*.



DISPUTATIO
DE LIBRO *JOSUAE*,

SIVE

DE DIVERSIS EX QUIBUS
CONSTAT *JOSUAE* LIBER
MONUMENTIS, DEQUE
AETATE QUA EORUM
VIXERUNT AUCTORES,

quâ publice defensâ

GRADUM DOCTORIS SUMMOSQUE
IN *THEOLOGIA* HONORES

RITE CONSEQUITUS EST

CLAUDIUS HENRICUS VAN HERWERDEN,
C. H. FIL.

ZUTPHANIENSIS.

V. D. M. DESIGNATUS *HONTENISSAE*
IN VICO AGRI ZELANDICI.



G R O N I N G A E,
Apud W. VAN BOEKEREN.

M D C C C X X V I.

Artificum opera exiguis saepe tenuibusque lineamentis a se invicem discernuntur.

BORGERUS, *Disput. de historia pragmatica.*

Manibus Paternis

Sacrum.



PRAEFATIO.



Quae in huius disputationis introitu praemonenda habemus, ea huc solum spectant, ut eius consilium et ratio declaretur.

Notum est, superiori saeculo et nostra etiam nunc aetate, bene multos exstitisse doctissimos viros, eosque de literis egregie meritos, qui a veteri abeundum putarent sententiâ, quâ plurimi Veteris Foederis libri historici vel ab aequalibus rerum narratarum conscripti, vel ex antiquissimis certe fontibus repetendi censebantur.

Illi itaque campum Theologiae, latissime patentem, amplius etiam dilatarunt, cum plane novam conderent, Introductionis in libros V. T. disciplinam. Praeiverat quidem diu ante, saeculo decimo septimo ineunte, Richardus Simon, cum in opere, Gallice scripto, criticam enarraret historiam Veteris Testamenti, post quem, ne Huetium, Vitringam, Clericum, Spinozam aliosque commemorem, Carpzovius in sua Introductione symbolam dederat. Uterque tamen cum nostris aequalibus eo tantum nomine conferri potest, quod

in singulorum librorum atque universi canonis formam, constitutionem, aetatem inquirerent, ceteroquin vero sententia ab illis longe discedentes. Facem his praetulit J. D. Michaëlis, iam antea Introductionis in N. T. praestantissimo opere merito celebratus, quem tamen, cum ad V. T. quoque accederet, et acuminis subtilitate, et eruditionis ubertate, et vero etiam opinionum novitate atque audaciâ multum post se reliquit J. G. Eichhornius, qui sener venerandus, uti primarius hujus disciplinae auctor fuit, ita ejus statorem sese gravissimum praestitit. Etenim nuper etiam novam, emendatiorem ac locupletiozem dedit Introductionis suae editionem.

Omnes, quotquot, in Germaniâ maxime, his incubuerunt literis, recensere, infinitum sit. Neque tamen aut Semleri taceam ad liberalem V. T. interpretationem apparatus, et de Canone disputationem, aut Baueri specimen historico-criticae introductionis, Germanice conscriptum, aut denique Augustii introductionem. Ex novissimis autem, praeter eos qui de singulis libris vel locis separatim egerunt, imprimis digni sunt qui commemorentur, Bertholdtus et Wettius, quorum ille copiosissime hanc omnem elaboravit materiam, non solum pluribus verbis suam ipse sententiam explicans, sed etiam aliorum, qui praecesserant, errores notans et confutans, denique accuratissimam addens litterariam totius disciplinae notitiam,

ita ut repertorii instar liber eius habeatur. Brevius et concinnius, si quidem verba spectas, ad rerum vero quod attinet expositionem, non minus sedulo et accurate suam Wettius rem egit, cum in Symbolis ac hanc disciplinam, tum vero in Compendio. Non alius a sententia veterum longius recesserat, non alius suam fortius propugnauerat opinionem, non alius denique severius redarguerat aut eorum, qui ante fuerant, errores, aut universe omnem opinionum diversitatem. Non una de auctoribus librorum Sacrorum, nam ad N. T. quoque traducta est disciplina, omnibus his viris fuit sententia. Longe plurimi id agebant, ut efficerent, multo recentiore, quam quae vulgo statueretur, iis adtribuendam esse aetatem. Sed processu temporis alia, ut ita dicam, familia existit, quae hac ipsa uteretur Introductionis disciplina, ad antiquissimum Codicis Sacri originem tuendam, pristinamque eius gravitatem ac dignitatem, quae magis magisque conclamata et desperata videbatur, restituendam. Quas V. F. reddere studuit Jahnius, cum in maiori Introductione, tum in Compendio, quod nuper Ackermannius, vir cl., auctum repetiit. Hic Veteris Foederis causam imprimis sustinuit, Beckhausio, Stäudlinio, Meyero, aliisque multis, quin ipso saepe Eichhornio, opitulantibus. Novi Foederis causam praeclare dixit Hugius, qui fortasse et do-

doctrinae copia, et sentiendi liberalitate, et denique orationis elegantia, quae in huius generis scriptis plerumque desideratur, omnes reliquos superavit. Parem merentur laudem Gieselerius, Halmius, Olshausenius alique multi, qui nuperime omnem laborem, egregio cum fructu, impenderunt, ut germanam Evangeliorum originem illustrarent. Hac ex parte etiam patria nostra inclaruit, quae ceteroquin, cum patrum opinionibus religiosissime adhaereat, paucos protulit harum literarum cultores. Lotzio V. C. huius disciplinae, quod ad N. F. attinet, commentarius debetur. De historicis Novi Foederis scriptis nuper bene meriti sunt triumviri praeclari, van Willes, Tol et Riehm, viri venerandi et doctissimi, quorum duo priores euangelia attigerunt, hic acta Apostolorum.

Illa autem de aetate ac origine Librorum Sacrorum quaestio, tantum abest, ut mere historica sit, ut inde potius maximam vim maximumque pondus accipiat, quod ad essentiam religionis patet factae pertineat. Nam qui illos recentiori tempore conscriptos et compositos autumant libros, ii fere omnes mythicam, quam vocant, consecrantur interpretationem eorum locorum, ubi aliquid, praeter naturae ordinem, extraordinario modo accidisse dicitur. Quo facto doctrina de peculiari institutione, quam Summum Numen, se-

cun-

cundum totius Codicis Sacri effata, primaevo generi humano, atque deinceps Abrahami posteris, impertierit, maximam partem convellitur. Neque tamen hoc ita intelligi velim, ac si per illam demum, de librorum Sacrorum recentiori origine, sententiam, ad hanc mythicam de praeternaturalibus rebus narrationum interpretationem accedatur. Qui enim illi favent, hac ipsa utuntur, ut illam confirmant stabiliantque. Sed primum quidem universam rem ita exponere solent, ut utraque sententia arctissime coniungatur. Deinde etiam vix fieri potest, quin levis videatur cuiusvis libri fides historica, si quidem rerum, multis ante saeculis gestarum, narrationem complectatur, ore tantum ac traditione, non scriptis, fide dignis, ad posteritatem propagatam. Quae profecto auctoritas nulla plane fiat necesse est, ubi narrationum ea est indoles, ut miraculosa tamquam vera facta venditentur, qualia ceteroquin, post hominum memoriam, mortalium nemo neque viderit, neque audierit. Quibus contra, si quidem ab aequali, satis probato homine, vel ab oculato teste, praeiudicatis opinionibus haud occupato, proderentur, nulla causa esset, cur fides non daretur.

Quae cum ita sint, equidem semper ita iudicavi, non aliud quid magis interesse Theologi, quam ut de his rebus certissimus fiat, nil aut a causa religionis, aut a sua persona alienius, quam

ut hoc in loco vagis feratur opinionum procel-
lis et fluctibus, nec ipse omnibus conetur viri-
bus, verum a falso discernere, ac firmum sibi
ipse fundamentum iacere, cui totum religionis
aedificium tuto superstruat.

Quam ob rem, cum non prius valedicere Aca-
demiae constituissem, quam studiorum meorum
quantulamcunque, disputatione publice edenda, de-
dissem rationem; cuius consilii auctor mihi sem-
per praecipuus fuerat Muntinghius, vir clarissi-
mus, matris avunculus, fato mihi quoque nimis
mature ereptus, cui quantum debeam, sentio e-
quidem, sed verbis effari nequeo, cum post
patris carissimi obitum, qui primus literarum
amore imbuerat animum, studiorum meorum dux
et auspex fuerit; illud igitur cum cepissem con-
siliium, ex multifaria, quae in Introductionis
disciplinae officina ad manum erat, suppellectili,
materiam scribendi eligere visum est. Prae caete-
ris autem locis liber Josuae maxime placuit, quia
stilum ac dictionem tenuem, humilem, perspicu-
am, facilem esse ex superiori memineram lectione.
Quas quidem dotes imperitiori linguae tironi exi-
mie arrisisse nemini mirum videbitur.

Cum igitur librum saepius legissem, antiquas
contulissem versiones, diversitate eo in primis
consilio notata, ut maiorem cum libri contraherem
familiaritatem, id continuo indubitatum visum est,

non unius esse manûs omnem scriptionem; tales enim ac tantae conspicuae erant dicendi diversitates, quales non facile in unum caderent auctorem. Ex una parte igitur eas colligebam stili dictionisque proprietates, sive ad vocabulorum singulorum usum eorumque construendorum rationem, sive ad grammaticam et syntaxin, sive ad reliquas res, phrases, notitias geographicas, historicas, aliasque pertinentes, in quibus quidem omnes libri partes consentire cernebam. Ex altera vero parte stili notabam diversitatem et discrepantiam, ex qua appareret primum quidem quae convenirent, quae discreparent, partes, deinde vero num in singulis dictionis varietas, an vero aequabilitas, major esset graviorque. Interea ex Kennicotto et Rossio Hebraici exempli varias conferebam lectiones, si quae forte opem ferrent haec agenti. Quibus peractis, cum tandem aliqua mihi, si modo est quaedam, constaret sententia, tum demum virorum praeclarorum, qui de libro nostro scripserant opera consului. Quos si prius consulerem, mentem liberam, et a praeiudicatis opinionibus immunem, servare me non posse putabam. Non omnium tamen adeundorum mihi fuit copia, ita ut principes tantum consulere potuerim, aliis minoris momenti praetermissis.

Caeterum, si qui sint eruditione ac pietate venerandi viri, qui omnem hanc quaestionem mis-

sam

sam ac intactam malint, qui non audiendos putant, quotquot patrum his de rebus effata repudiarent, qui de summa Codicis Sacri dignitate et divina auctoritate male consultum iri arbitrentur, si in eum pariter ac in quodvis aliud invadas scriptum, nil non disquisitum relinquant, membra quasi dilaceres, summa imis commisceas, eos aegre ne ferant rogo atque imploro, si quidem ego, juvenis, haec iis respondere sustineam. Quicumque id solum, quod verum est, ex animo petit, is sibi ipse diffidens, etsi permultum auctoritati aliorum, sive maiorum, sive recentiorum, sive aequalium, tribuat, minime tamen, nisi ipse accurate opiniones eorum perspexerit ac cognoverit, contentus, nullam a magno quodam viro recens prolatam opinionem non exploratam relinquentiam censebit. Si enim veritati collustrandae inserviat, omni opere enitendum est, ut clariori in luce ponatur, atque ad quam plurimos homines perveniat. Si vero veritati repugnare videatur, qui ex ea oriri queant, errores, haud leviori cum diligentia praeventendi sunt. Hoc itaque consilio etiam principum in Germaniâ Theologorum placita percipienda et accurato examini subiicienda videntur. Quodsi veritati propius quam dogmata patrum accedant, quidni horum in locum succedant? Neque enim aut dignitas, aut auctoritas Sacri Codicis falsis opinionibus muniri atque

servari potest. Quod si vero patres recte viderint, nec recentiorum sententia satis firmo nitideatur fundamento, in patrum sententia eo maiori cum fiducia erit acquiescendum, quo certius opinionis contrariae falsitas de illius nobis persuaserit veritate.

Equidem, ut dicam, quem in locum mea me pervenisse disquisitione opiner, paucisque contraham totius libelli argumentum, de libro Josuae sic sentio: Ex diversis diversorum constare auctorum monumentis, ad aetatis, qua Josua floruit, quaeque hunc excepit, historiam, pertinentibus. Nullius horum monumentorum Josuam esse auctorem, omnium vero auctores aequales fuisse Josuae, testesque rerum, quas memoriae prodiderint. Quis monumenta in unum corpus redegerit, minime certum esse, verosimile tamen esse, ultimorum colorum libri scriptorem pro libri collectore esse habendum; hunc quominus mox post Josuam vixisse putemus, nihil impedire. Postea vero exstitisse, qui librum hic illic interpolarentur.

Opusculum nostrum bipartitum est. Priori loco, quot diversa diversorum auctorum monumenta Josuae liber complecti videatur, declaravimus. Posteriori, de aetate singulorum egimus scriptorum; in fine autem de collectore libri verbo dictum est.

Quod autem decem scriptorum diversorum vestigia deprehendisse mihi visus sim, id nonnulli for-

tasse lectores mirandum, dicam an., absurdum ineptumque censebunt. Neque tamen consilii poenitet; Quod enim in ipsa disputatione saepe diximus, etiam hic repetendum puto. Nisi uni auctori totum tribuas librum, pluribus tribuas necesse est. Uni tribuendum esse, nemo opinor censebit, qui librum accuratius legerit, nec optimi tribuere interpretes, quales nostrates Hamelsveldius, Muntinghius, Palmius aliique censentur. Si plures fuere auctores, permulti distinguendi sunt. Etsi negare non ausim, fieri posse et saepius revera esse factum, ut eiusdem hominis dictio, ingravescente aetate, magnam subiret mutationem, unde in recentioribus scriptis ejusdem auctoris dicendi occurrant formulae, quarum in antiquioribus ne vestigium quidem. Id itaque fortasse primi, quod dicimus, monumenti evenire potuit scriptori. Cum enim secundum ab eo conscriptum homine videatur, qui scriptorem primi monumenti imitari studuerit, suam tamen propriam servans formam dicendi, res illa sic forte sese habet, eundem esse utriusque auctorem, sed longo temporis intervallo unum post alterum confectum. Quod tamen certo affirmare nolim, nam etiamnum valde me movet stili quam notavimus diversitas, adeo ut potius de duobus cogitandum auctoribus videatur. Quo vero stili discrimine primum a tertio, quartum a quinto, octavum a nono diversum est monumento,

to, haec autem singula rursus a reliquis omnibus sese praebent distinguenda, eiusmodi discriminis exempla non dubium esse putamus, quin in unius auctoris scriptione minime locum sint habitura.

Caeterum gravissima, quae urbem Groningam afflixit, morbi clades, cum et me ipsum, et domum omnem meam percelleret, primum vires, deinde otium abstulit, quibus omnino opus esset ad libellum satis nitidum vitiisque typographicis immunem procurandum. Haec magno numero irrepserunt, quibus ignoscas quaeso B. L. Quantum autem potui, ad calcem omnia notavi, neque haec solum sed etiam addenda quaedam, laudatis, ad quas referenda sunt, paginis. Et vero haec etiam vixdum ad sanitatem restituto e memoria exciderant. Quae tamen potius postea danda videbantur, cum erroris confessione, quam retinenda et supprimenda.

Haec de ipso opusculo, quod paternis manibus inscripsi. Sic enim videbatur satisfaciendum pietati, officio, religioni, carissimi memoriae capitis. Invidebam semper omnibus, qui, cum Academiae valedicerent, patri dicarent disputationem. Nullus enim pater dignior erat, cui disputatio mitteretur, quam ille meus. Qui, quo ipse incensum gerebat pectus amore literarum, in quibus, quidquid ab ecclesastico munere otii superesset, id omne impenderet, eodem filii animum mature perfun-

fundere conatus est. Manu ipse sua me ad illas adduxit, nec etiam postea, cum aliis me tradidisset praeceptoribus, consilio atque opera mihi defuit. Itaque quod vivo ipsi solvant alii debitum, id perfuncti manibus solvere mihi contingat, talis praesertim, tamque praeclare de studiis meis meriti, viri.

Iam cum in eo sim, ut hanc Musarum sedem relinquam, scriptioni meae finem imponere nolum, nisi maximas antea egerim Professoribus gratias, quorum institutione uti licuit. Institutionem dicam? Parum hoc sit: scilicet exspectatur illa a vobis viri clarissimi! Sed memoranda et celebranda mihi est, qua me complexi estis, benevolentia et amicitia, consilium et opera memoranda sunt, a plurimis vestrum quoties petita, toties mira cum comitate et gratia in me collata. Quibus beneficiis cum me vobis quam maxime devinctum sentio, tumetiam atque etiam rogo, ut eo erga me et absentem animo esse pergatis. Quod rependam non habeo, nisi gratissimum animum, precesque prosalute vestra Deo Optimo Maximo oblatas.



PARS PRIOR.

DE

DIVERSIS DIVERSORUM SCRIPTORUM MONUMENTIS, QUAE IN LIBRO *JOSUA* INVENIUNTUR.



CAPUT PRIMUM.

DE CAPITIBUS DUODECIM PRIORIBUS; OMISSIS CAP. VIII: 30—35 ET X: 12—14. SIVE DE PRIMO HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Primum, quod agamus, in eo positum est, ut doceamus, quae monumenta in libro *Josua* distinguenda sint. Itaque capita duodecim priora unum in locum referimus, exceptis particulis, quas in titulo indicavimus. Hanc nostram disquisitionem in duas dispescimus Sectiones; quarum altera in eo versabitur, ut nostram sententiam in lucem proferat; altera, illius quasi appendix, nonnullas notabit diversitates, in hoc monumento observandas. Quarum quidem mentionem eo consilio iniecimus, ut plenissima daretur lectoribus iudicandi facultas, utque ipsi quidem viderent, quamquam ultro hoc quisque intelliget, non omnibus omnino in rebus monumenti huius sibi constare

auctorem; at simul tamen cernerent, quam parum ex unâ parte a solita ratione discesserit, ex alterâ parte, quantum ipsa, in quam incidimus, diversitas ad communem totius monumenti originem comprobendam faciat.

SECTIO PRIOR.

Qua efficitur, monumentum primum ab uno auctore repetendum esse.

Jam duo in primis nobis spectanda sunt, cum dictio stilusque scriptoris, tum narrationis argumentum. Quod si autem omnia exhibere velim, quae capitibus hisce communia vidisse mihi visus sum, infinitum aggrediar opus, atque messem faciam, largam quidem illam, sed iniucundam, quippe inutilem, a re mea alienam. Quapropter solum ea depromam, quae nostro monumento sunt propria, reliquis vero non item.

§ 1.

De iis quibus huius monumenti dictio cum sibi consentanea, tum a dictione reliquorum monumentorum diversa est.

Primum quidem in censum venit usus verborum אָמַר et דָּבַר. De quibus Gesenius, vir Cl. in Lexico, in v. אָמַר, docuit, illud ipsis verbis, quae quis dixisse refertur, praemitti solere, hoc vero universe notionem loquendi significare. Ad quam

explicandam sententiam phrasin contulit ex Levit. I: 2, דבר אל בני ישראל ואמרת אליהם. Noster autem aliam sequitur rationem. אמר enim saepe pleonastice ponit ante verba quae laudantur, aut quae aliquis loquens inducitur; nunquam vero praecedente דבר, sed אמר, aut צוה, aut ענה. Veluti I: 1. ויאמר יהוה אל יהושע לאמר. Coll. c. 12. II: 2. III: 6. IV: 1, 15, 21. VII: 2. IX: 11. Huius quidem Capitis c. 22, excipiendum fortasse videatur, ubi legitur: ויקרא ויהם להם יהושע וידבר אליהם. Et sane alio modo scripserat, IV: 4, 5 ויקרא ויאמר; sed tamen praecedens ויקרא impedire videtur, quominus verba ista Capitis noni cum loco Levitici conferri possint. Caeterum quae fuerit auctoris consuetudo, perspicuum est. — Porro observandum, nostrum ter usum esse verbo אמר generaliori illa loquendi significatione, quam Gesenius verbo דבר tribuit. Sic VI: 8 ויהי כאמר יהושע אל העם, coll. VII: 8. XI: 9.

Verbum נתן a nostro vel cum ל, vel cum ביד constructur. Illud fit I: 2, 6, 11, 14, 15. II: 9, 14. V: 6. VI: 16. XI: 23; hoc II: 24. VI: 2. VII: 7. VIII: 1, 7, 18. X: 8, 30. XI: 8.

Deinde numquam בעיני dicit, semper בעיני. Conf. III: 7. IV: 14. IX: 26.

כתב, scripsit in libro, cum ב constructur, I: 8.

Permultum. רב מאד. IX: 13. XI: 4.

Verbi שמע triplex est constructio. I: 17. שמעו משה אל משה c. 18. ישמע את דבריך. V: 16 שמעו בקול יהוה.

דבר plerumque cum אל constructur, I: 3. IV: 8,

10, 12. V: 14. IX: 22. Semel cum ל, IX: 21.

Verba alicuius דברים dicuntur, III: 9.

Tribus vulgo שבת vocatur. Conf. III: 12. IV: 2, 5, 8, 12. VII: 14, 16. XI: 23. XII: 6, 7. Uno in capite VII: 1, 18 etiam מטה, quod cum uno tantummodo in colo legatur, quasi ex tabula genealogica desumptum, non scriptoris proprium esse videtur. — Addendum שבת singulari numero construi. Conf. VII: 14, 16.

Haereditas vel ירשה, vel נחלה dicitur. Illud habes I: 15. XII: 6, 7. hoc XI: 23.

Verbum נחל notione *dandi aliquid in haereditatem* formâ Hiphil usurpatur, I: 6.

צוה *praecepit alicui* cum Accusativo construitur, I: 7, 9, 10, 11, 13, 16. III: 3, 8. IV: 3, 10, 16, 17. VI: 10. VII: 11. VIII: 4, 8, 27. IX: 24. XI: 15, 20.

שאל cum Accusativo construitur, IV: 10.

קרב, *appropinquavit alicui aut rei, aut personae*, cum אל construitur, III: 4. VIII: 5, 23. IX: 16.

עלה *hostiliter egressus est contra aliquem*. Cum אל construitur, X: 4.

עשה notione *mali inferendi* ל sibi habet additum. Conf. II: 10. VIII: 2. IX: 3, 10, 20, 25, 26. X: 1, 25, 28, 30, 32, 35, 37, 39, XI: 9. Notione *boni conferendi* habet עם, v. II: 12, 14. Hoc autem in rebus valet animatis; ubi de non animatis sermo est adhibet ל, IV: 23. VII: 9. Denique si notionem *obtemperandi mandato*, indicat, כ similitudinis, quae dicitur, adhiberi solet. v. I: 7, 8.

קרא, locum hoc vel illo nomine appellare, Accusativum regit. v. V: 9. VII: 26.

Terra et generatim, et speciatim Palaestina ארץ vocatur, I: 2, 4, 6, 11, 13, 14, 15. II: 1, 2, 9, 11, 14, 18, 24. III: 11, 13. IV: 24. V: 4, 6, 11, 12, 14. VI: 22, 27. VII: 2, 6, 9, 21. VIII: 1. IX: 11, 24. X: 40, 41, 42. XI: 3, 16, 22, 23. XII: 1, 7.

Incolae urbis vel ירובים dicuntur, II: 9, 24. VII: 9. VIII: 26. IX: 3, 11, 24. X: 1, 6. XI: 19, vel אנשים, VII: 4. VIII: 20, 25. X: 6.

Haec omnia nostro priva et propria sunt, eorumque differt usu a singulis reliquorum monumentorum auctoribus. Quibus vocabulis atque verborum constructionibus accedunt formae peculiare quaedam Grammaticae, quarum in reliquis aut nulla plane, aut pauciora exstant exempla. Sic nonnunquam factum est, ut Nota Acusativi ommitteretur, ubi, ob Articulum praefixum, secundum regulas Grammaticas erat scribenda (1). e. g. II: 3 הוציא האנשים. Coll. c. 7. III: 10. V: 9. VI: 24. VII: 12, 13. VIII: 27. X: 40. XI: 14, 16. Sic fere per totum hoc monumentum factum cernis, uti contra ubique observatae regulae permulta exempla adsunt. Conf. I: 6, 11, 13, 15. II: 1, 2, 9, 14. III: 3, 4, 8, 10, 14, 17. IV: 16, 17, 22. V: 6, 10. VI: 3, 4, 7, 10, 14, 15, 17, 20, 22, 24, 26. V:

(1) Vid. Gesenius, Lehrgebäude der Hebräischen Sprache mit Vergleichung der verwandten Dialekte. Leipz. 1817. § 177. II. 2. a. p. 682.

VII: 2, 7, 13, 24. VIII: 7, 8, 10, 19, 21. IX: 24. X: 23, 24. XI: 16, 19, 21. Quod primo capite nulla regulae exceptio inveniatur, id suspicionem tamen movere non posse arbitror, de alio cogitandum esse auctore, Nam quo tandem modo fiat, ut tam exigua scriptionis parte omnes contineantur dicendi formae, quibus scriptor uti consueverit? Hoc igitur misso, dicam potius, alia loca, ubi Nota Accusativi similiter praetermissa videatur, ad exceptionum classem haudquaquam pertinere. De quibus, etsi ad rem nostram minus facientibus, tamen in transitu moneam, satis perspicuum iis fieri, Accusativos nominum, Articulum praefixum habentium, in toto hoc libro, non ante se patri Notam **אֵת**, si locum significant, in quem quis proficiscatur. Quod clarior in oculos incurrat si addatur, ne tum quidem notam praemitti, quum Accusativus casus, ipse non habens Articulum, Genitivum regat, auctum, vel etiam non auctum Articulo. Qua constructione, uti notum est, ceteroquin nota Accusativi esset adhibenda (2). Unius et alterius regulae haec conferantur exempla, II: 6. **העלתם הנגה**. c. 2 **ויבאו בית אשה**. Coll. c. 7, 16, 18, 19, 22. V: 9. VI: 11, 14, 18, 20, 22. VII: 22, 24. VIII: 3, 10, 15, 19, 20. IX: 6. XII: 3. Sic et in reliquis monumentis. XVI: 8. XVIII: 19. XIX saepius. XX: 4. XXIV: 6. — Clariss. Gesenius hanc rem non indicavit. — Sed ad propositum nostrum revertamur!

In hoc monumento deest aliquando Nota Accu-

sa-

(2) v. Gesenii Grammatica l.l. b.

sativi, casui suo ob affixum Pronomen praemit-
tenda (3). e. c. V: וישא ענין 13. Coll. VII: 6.
VIII: 2, 26. IX: 9. XI: 15. In omnibus ve-
ro capitibus quoque appositae notae sunt exempla.
v. I: 8, 18. II: 13, 14, 18, 20. IV: 21, 22.
V: 7. VI: 2, 23. VII: 9, 11, 24. VIII: 1,
13, 29. X: 25, 28, 30, 33, 37, 39, 42. XI:
6, 9, 10, 20. XII: 1.

Deest quoque Nota nonnumquam, ob sequen-
tem Genitivum, Accusativo praeponenda. e. g. II:
12—ונתתם אות אמת, coll. IV: 24. V: 9. VI:
25. VII: 24, 26. VIII: 27, 29. IX: 27.
X: 9. XI: 14. Regula vero observatur, I: 10—
ויצו את שטרי העם Coll. II; 3, 4, 10, 18, 21,
23, 24. III. 3, 6. IV: 23, 24. V: 2, 3, 9.
VI: 5, 6, 18, 20, 21, 22, 23, 25. VII: 3,
15, 17, 24. VIII: 1, 13, 21, 23, 24, 26, 29.
IX: 14. X. 22, 28, 32, 35, 37, 39, 40, 42.
XI: 11, 12, 14, 16, 17, 23.

Alterum nomen si alterum regit in Genitivo,
Articulus huic praefigitur, si quidem notio utro-
rumque nominum simul sumtorum certam quam-
dam definitam rem significat (4). Cuius legis et-
si hic illic aliqua inveniatur exceptio, VI: 6
ישאו—שופרות יבליים, coll. c. 8. X: 39, se-
quentia tamen loca legi consentea sunt. I: 2,
4, 7, 8, 10, 11, 14, 15. II: 3, 6, 9, 10,
15, 21, 22, 23, 24. III: 6, 11, 13, 15, 17.
IV. 1, 3, 5, 8, 9, 11, 12. VI: 2, 4, 5, 6,
8, 13, 20, 22, 27. VII: 3, 4, 5, 7, 17, 21,
23,

(3) v. Gesenius l. l.

(4) v. Gesenius l. l. § 166. 1. § 168. 3.

23, 24, 26. VIII: 1, 3, 9, 13, 15, 21, 24, 26, 27. IX: 1, 10, 13, 15, 18, 19, 21, 24. X: 2, 18, 20, 21, 22, 27, 28, 32, 35, 37, 40, 42. XI: 3, 4, 5, 7, 10, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 23. XII: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7.

Substantivum, quod certae est definitaeque notionis, Articulum non recipit, quando sequenti Genitivo accuratius circumscribitur (5). Si vero Genitivus Nominis proprii est, quod Articulum sibi praefigi non sinat, regenti nomini hic praefigi potest (6). Quod ad capitulum nostrorum rationem attinet, ea hoc in casu semper priorum legem sequuntur. e. g. I: עֵבֶר יְרוּחַ 1, cum dici posset הָעֵבֶר. Conf. c. 4, 13, 15. II: 1, 2, 3, 10. III: 1, 3, 9, 12, 13. IV: 4, 5, 7, 8, 11, 14, 18, 19, 21. V: 6, 9, 10, 12, 14, 15. VI: 6, 7, 11, 18, 19, 23, 24, 25. VII: 1, 6, 12, 15, 16, 17, 18, 23, 24, 25, 26. VIII: 8, 10, 15, 21, 24, 27. IX: 3, 6, 7, 9, 10, 14, 17, 18, 26. X: 1, 3, 4, 5, 6, 11, 15, 20, 21, 23, 24, 29, 33, 34, 36, 38, 43. XI: 1, 8, 12, 14, 19, 22. XII: 1 seqq. Pluribus Genitivis se invicem excipientibus, Articulus hic illic inseritur. v. III: 11, 17. Hoc loco etiam alia subest causa additi Articuli, arcae mentionem iam saepius factam esse.

Nominibus appellativis definitae significationis, aut rem designantibus cuius paullo ante sermo fuerat, ubi sola sunt posita, nec cum alio nomine coniuncta, Articulus semper praefixus est. Conf.

I:

(5) v. Gesenius l. l. § 167. 2. p. 657.

(6) v. Gesenius l. l. in rot. b.

I: 2, 4, 6, 11, 13, 14, 15. II: 1, 2, 5, 6, 7, 11, 15, 16, 19. III: 1, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 13, 14, 16. IV: 2, 3, 4, 6, 7, 8, 9, 10, 13, 14, 16, 17, 19, 21, 22. V: 4, 6, 10, 12, 15. VI: 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 20 sqq. VII: 1, 2, 4, 5, 6, 7, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 21, 22, 25, 26. VIII: 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 13, 14, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 24, 25, 26, 27, 28, 29. IX: 1, 6, 11, 14, 17, 18, 24, 27. X: 6, 11, 15, 16, 17, 21, 22, 23, 24, 26, 27, 28, 32, 35, 40, 43. XI: 14, 16, 17, 19, 21, 23. XII: 3, 8.

Ex altera parte Articulus nunquam legitur, nisi certa quaedam res innuatur. Conf. I: 5, 8, 11, 18. II: 2, 11, 12, 14, 19. III: 4, 5, 12. IV: 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9. V: 1, 2, 3, 6, 11, 12, 14. VI: 1, 3, 4, 5, 6, 10, 11, 14, 15, 17, 18, 19, 20, 21. VII: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 8, 12, 13, 15, 19, 21, 22, 25, 26. VIII: 2, 3, 12, 14, 17, 20, 22, 25, 28. IX: 2, 4, 5, 6, 7, 9, 11, 12, 15, 16, 20, 23. X: 2, 8, 10, 11, 18, 20, 21, 26, 27, 30, 33, 37, 39, 42. XI: 4, 8, 15, 18, 19, 22, 23. XII: 6, 7.

Duobus Genitivis se invicem sequentibus, quorum uterque Articulum recipere possit, hic posteriori modo additur, I: 12 לחצי שבט המנשה. Conf. II: 18. III: 8. V: 4. VI: 3. VIII: 3, 26. IX: 24. X: 7, 24. XI: 7, 12, 16. XII: 3. Bis tantum scriptor hac de via recedere videtur, III: 17. נשאי הארון הברית et VIII: 11, המלחמה

וכל העם המלחמה. Sed non nisi videtur. Et tantum abest, ut discrepantiam his in locis reperias, ut potius scriptor hic sibi pulcre constare videatur. Quod enim modo observatum est, eum praefigere Articulum Nominibus appellativis, quorum mentio paulo ante iniecta erat, idem hic obtinet. Illo loco arca respicitur, cuius] Josua meminerat, c. 11, quaeque nunc prima in] acie dicitur posita fuisse. Altero autem loco non aliud innuitur bellatorum genus, quam cuius fuerat mentio, c. 3, quodque his etiam vocibus indicatur: אשר אתו. Itaque spuria esse patet Codicis unius Rossiani lectio עם, quam probabat Rossius obsequens המלחמה, equidem vero ob ipsum hoc vocabulum improbandum putem. In codice eius 470 R. Isaias notaverat, ה redundare. Scilicet scribendi rationem auctori propriam ille non attenderat.

Literam ל Genitivo indicando non adhibet nisi in computando tempore et indicandis rebus geographicis. Illud fit IV: 19. בעשר לחדש הראשון. Coll. V: 10. Hoc VII: 2 מקדם לבית אל coll. VIII: 9, 11, 12.

Nomini Substantivo in Accusativo posito nunquam praemittitur nota את, si neque Nomen proprium est, neque praefixum habet Articulum, neque affixum Pronomen. e. g. I: 11. הכינו לכם צרה. II: 1, 12, 14, 22. III: 5, 12, 15. IV: 2, 3, 5, 8, 9. V: 1, 2, 3, 6, 11. VI: 3, 4, 5, 6, 14, 19, 20. VII: 2, 5, 6, 8, 12, 15, 19, 21, 25. VIII: 2, 3, 12, 28. IX: 4, 5, 6, 7, 11, 12, 15, 16. X: 10,

11, 18, 20, 27, 30, 33, 37, 39, 40. XI: 8: 15, 18. XII: 6, 7.

Adiectivum et Pronomen, Substantivis adiuncta, Articulum aut recipiunt aut reiiciunt pro substantivorum ratione. e. g. I: 2 הירדן הזה. Coll. c. 4, 6, 8, 11, 13. II: 3. 6, 18. III: 3, 7, 13, 16. IV: 6, 7, 9, 14, 19, 20, 21, 22. V: 4, 5, 9, 11, 12. VI: 4, 14, 15, 16, 22, 23, 25, 26. VII. 1, 25, 26. VIII. 9, 13, 20, 25, 27, 28, 29. IX: 1, 17, 25, 27. X: 2, 16, 22, 23, 24, 28, 35. XI: 5, 6, 10, 12, 13, 14, 16, 17. XII: 2, 4.

Femininum זאת, neutrius potestate positum, Articulum non admittit. v. IX: 20.

In Generis usu nulla a solitis grammaticis legibus discrepantia. Quod exemplis ostendere infinitum sit, quia in quovis colo plura reperiantur. Neque aliquis in contrariam sententiam proferat XI: 12 את כל ערי המלכים האלה ואת כל מלכיהם coll. c. 13, ubi similis constructio obtinet. Etenim כל non adiective, sed substantive sumendum. Quod autem affixum est הם non ו, huius rei causa in eo posita est, quod כל plerumque collective accipiatur, eaque de causa cum plurali potius quam cum singulari numero construatur. Conferri ad omnem hanc rem potest I: 7 לעשות ככל התורה—אל תסור ממנו c. 8. II: 6, ne alia loca addamus. Semel tamen genus vere neglectum est, II: 17 משבעתך הזה. Quae vero negligentia non magni est momenti. Nam in vulgari sermone, qui hic quoque locum habet, pre-

Pronomeu demonstrativum masculinum, saepe pro feminino usurpatur. (7)

Pronomen personale, pro Verbo substantivo positum, in nostro monumento semper eo numero, genere ac persona scribitur, quo Verbum substantivum fuerat scribendum v. C. II: 4, de exploratoribus; « nescio unde **המה** ». Coll. 15, 17, 20, 21. IV: 24. V: 13, 14, 15. VI: 19. VII: 3. IX: 8, 11, 22, 23. X: 11. XI: 10. Ad locum ex capite sexto laudatum, ne quis putet **המה** ibi scribi oportuisse, quoniam multae res enumerentur, ad quas Pronomen **הוא** pertineat, interque eas plurali numero inveniantur, **כלי נחשת**; observandum est, vocabula, quae ad nomina plura referenda sunt, Hebraice cum postremo nomine convenire solere. (8) Sic iam noster I: 14 **נשיכם טפכם ומקניכם ישבו**.

Denique aliquando Nominativo absoluto utitur auctor noster, per Pronomen affixum cum sequente phrasi coniuncto I: 3 **כל מקום אשר תדרף כף רגלכם בו לכם נתתי**. Coll. II: 19. XI: 13.

De grammaticis formis haec hactenus. Nunc alia nonnulla, quae huius monumenti stilo propria sunt, in medium proferamus.

Primum quidem noster plerumque consilio et ratione usus esse videtur in Summo Numine nuncupando. Raro tantum caussa latet cur Deum hoc vel illo nomine insignierit. Sic primo capite et *Jehova* et *Jehova Elohim* dicitur. Utrumque non absque caussa fit. Colo 9 Deus Mosi: « fortis,

(7) v. Gesenius l. l. § 139.

(8) v. Gesenius § 88. p. 722.

tis, inquit, ac bono animo sis! ne metuas, ne reformides! Namque adest tibi *Jehova Deus tuus* quocunque te convertas." C. 11 Josua praecognitionibus praecipit, ut populum faciant certiores, post tres dies elapsos Jordanem transiendum esse, terramque invadendam, ipsis a *Jehova Deo eorum* iure haereditario datum." C. 13 Josua mandatum Mosis in memoriam revocans Trans-Jordaniticis: «*Jehova Deus vester*, inquit, quietem vobis dedit," et quae sequuntur. Tum c. 15 «donec-etiam fratres vestri in haereditatem terram acceperint, quam dedit illis *Jehova Deus vester*." Denique c. 17 Trans-Jordanitici: «modo, inquiunt, sit *Jehova Deus tuus* tecum, sicut Mosi adfuit."

Deus simpliciter *Jehova* vocatur colo 1 «et dixit *Jehova* Josuae." C. 15 in illa Josuae oratione, «donec quietem dederit *Jehova* fratribus vestris" ac paulo post: «et redeatis in terram — «quam dedit vobis Moses minister *Jehovae*." C. 1 ille quoque minister *Jehovae* appellatur.

Nomen Elohim itaque in ea solum additur oratione, quae aut ad animum addendum composita est, aut ab obedientiam mandatis divinis excitandam. Cum denique non in narratione, sed in verbis ad certos homines directis, inveniatur, merito suspicari possumus, nomen illud ad maiorem vim dictis conciliandam usurpatum esse. Idem II: 11 evenit, quo loco Rachab magnificentissime de Deo loquitur, qui tot mirabilia Israëliitarum in gratiam fecerat, regionisque incolas timore percelluerat. III: 3 similiter in magnifica Dei mentione *Jehova Deus vester* vocatur. C. 5 vero miraris, cur Jo-

Josua non idem faciat, populo indicens ut lustraretur, in augustissimum diem, quo Jordanem traiecturus sit.

Non adeo miror illud אֲדֹנָי כָּל הָאָרֶץ, c. 11, 13, aut אֱלֹהֵי ה' c. 10. Nam in solemnibus hac et sublimes oratione insolitus ac illustrior titulus vix inexpectatus dici potest. Caeterum capitibus III, IV, V facile causa datur, cur Deus hoc illove appelletur modo. Conf. C. 7, 9, 17. IV. 1, 5, 7, 8, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 18, 23, 24. V: 1, 2, 6, 9, 14, 15. Cap. VI vero rursus dubitas, cum grandior et sublimior fiat oratio, cur non semel *Elohim* addatur. Coll. 6, 8, 12, 13, 16, 19, 24, 27. Neque tamen eam ob causam alium huic capiti auctorem tribuendum esse iudicem; nam praeterea nihil fere habet, quo suspectum reddatur, cum et verbis, et formis grammaticis, et narrationis argumento, antecedentibus et sequentibus satis congruum sit. Nullum profecto vidi caput, quod non una alterave re a reliquis differret. Quod si quis non ferendum censeat, meaeque sententiae adversari, is sane iniquus sit. Ejus enim opinio eo tendat, ut singula capita diversos auctores habuisse dicas. Quae vero capita, arctissime inter se coniuncta, iis in rebus conveniunt omnibus, in quibus reliqua diversam sequuntur rationem, ea non iniuria ad unum auctorem referri posse videntur.

Capite septimo Deus novo nomine insignitur, יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל c. 13, 19, 20. Sed hic quoque idoneam videmus nominis causam. Ubi nomen *Elohim* nomini *Jehova* additum est, omni-

nibus iis in locis Pronomen כִּם aut ך affixum fuit, quo illi indicarentur homines, quorum Deus esset Jehova. Sed simul ubique Deus proponebatur, tamquam Numen iis propitium, quorum Deus dicebatur. Jam vero indignabundus populo in memoriam revocat, se Deum esse Israëlis, sive ipsum Jacobum, parentem eorum, pium hominem, innuens, sive illum populum qui antiquitus ipsius legum religiosus cultor fuisset et observator. Eâdem de causa Josua, ut Achanem reverentia Dei impleat, «da, quaeso, inquit, gloriam Jehovae Deo Israelis.” Neque enim *Deo tuo* dicere Achani poterat, in quem ipse Deus ultimum decreverat supplicium. Neque etiam ipse reus, criminis sui sibi conscius, nec sine Numine deprehensus, dicere poterat: «profecto equidem in Deum meum peccavi!” — Capitibus VIII et IX omnia huc pertinentia capiti primo consentanea sunt. Conf. 1, 7, 8, 18, 27. IX: 9, 14, 18, 19, 24. In uno loco c. 23 huius capitis pro verbis בית אלהי expectasses, בית יהוה אלהי. Add. X: 8, 10, 11, 19, 25, 30, 32, 42. XI: 6, 8, 15, 20, 23. XII: 6. Haec loca omnia prioribus conveniunt.

Quod ad nomina populi Israëlitici, quaedam in illis occurrit varietas. Neque ideo tamen eorum disquisitionem in alteram sectionem huius capitis reservandam putavi. Etenim in ipsis illis nominibus inest quaedam aequabilitas et constantia, hic loci non negligenda. Ad diversitatem pertinet illud העדה, IX: 15, 18, 19, 21, quod nomen neque antea neque postea in hoc monumen-

to scriptum erat. Item principes populi נשיאים vocantur iis in locis. At VII: 6 et VIII: 10, קצני ישראל appellati fuerant. Eosdem enim homines utroque titulo designari arbitror, pariter ac in Pentateucho. (9) Alius vero generis sunt קצינים, quorum mentio, X: 24. Ex tota enim phrasi קצני אנשי המלחמה, belli duces innui certum est. — Cap. IX: 6, 7 quoque insolitum legis Israëlitis nomen, איש ישראל. Sed de auctoritate lectionis non constat. Nam c. 6 unus codex Rossianus pro איש habet בני, ad marginem notans, alios codices legere איש. Illam sequitur Arabs lectionem, pro quâ Syrus: לדבית ישראל (10), Graecus: και Ἰσραήλ, Ms. Alexandr. et Ox. Ald. ed. et Comp. Πάντα Ἰσραήλ. Sic quoque est in Græbii collatione. al. και πρὸς Ἰσραήλ. Vulgatus denique habet: « simul omni Israëliti. » Merito igitur dubitari potest, quænam germana sit lectio. Pro איש hoc sane militat, insolentius dictum esse. Forte tamen ex c. 7 in c. 6 irrepsit. C. 7 autem nihil difficultatis habet, si quidem vera est lectio marginalis ויאמר, pro vulgari ויאמרו. Tunc enim non universus populus, sed unus aliquis Israëlita loquens inducitur. Tuentur singularem numerum non pauci codices Kennicottiani et Rossiani, Biblia Soncin. Brix. 1494, Veneta utraque 1518 ad marg. Munsteri utraque Hebr.-Lat. 1534, 1546. Alii codices non memorant marginis lectionem.

Cap.

(9) v. Jahn, Biblische Archaeologie, I Th. II B. § 14. p. 77.

(10) Hebraicis literis usus sum, cum Syriacæ deessent typographo.

Cap. X: 24 legitur, **כל איש ישראל**, quod iterum incertae est fidei. Codices nonnulli omittunt **איש**, uti Rossius docuit ad h. l.; omittit deinde Alexandrina versio, excepta Complut. ed. et Codice apud Masium, qui addit *ἀνδράς*. In Grabii collatione expressum est, asterisco addito. Aliter Syrus, verba **ישראל** — **כל** omittens, voces autem, **ויאמר אל** ante ipsa Josuae verba collocans. Arabs denique habet *بني اسرائيل*. Equidem in tam multiplici diversitate sententiam non facile feram. Haec duo solum monenda videntur, alterum, ne ex tam dubiis lectionibus aliquid contra germanam atque communem horum capitum originem decernatur; alterum, si forte peritis iudicibus vulgo receptae lectiones verisimiliores videantur, ne tum quidem communem illam originem multum periclitari. Nam primum quidem in nullo alio huius libri monumento eiusmodi nomen gentis Israëliticae invenitur. Deinde, quod supra dixi, nunc repeto, non magnopere mirandas esse huius generis diversitates, nisi maioris sint momenti, quam quas huc usque commemorandas habuimus. Accedit, quod noster ceteroquin sibi egregie constet, in populo Israëlitico nuncupando. Duo enim haec nomina vulgo adhibet **ישראל** et **בני ישראל**. Illud quidem in duobus primis capitibus haud occurrit. Sed hoc in utroque semel tantum, ita ut hinc effici nequeat, auctori illorum capitum illud non fuisse consuetum. Alterum habes III: 7, 17. IV: 14, 22. VI: 18, 23, 25. VII: 6, 8, 11, 13, 15, 24. VIII: 10, 14, 15, 17, 21, 22, 24, 27.

B

IX.

IX: 2. X: 1, 11, 15, 29, 30, 31, 32, 34, 36.
 XII: 7. Alterum I: 2. II: 2. III: 1, 9. IV:
 4, 5, 7, 8, 12, 21. V: 2, 3, 6, 10, 12.
 VI: 1. VII: 1, 12, 23. IX: 17, 18, 26.
 X: 4, 11, 20, 21. XI: 14, 19, 22. XII: 1, 6, 7.

Nominum, quibus Moses appellatur, satis certa ratio est. Nam facile perspicitur, cur capite primo *Dei minister* vocetur. Quo titulo scriptor initio libri sui manibus viri de Israëlitis optime meriti debitum quasi solvere voluisse videtur. Neque absonus ille titulus est c. 2. ubi Deus ministri sui fidelissimi coram illo mentionem facit, quem ei successorem destinaverat. Mox altera et tertia eius mentione facta recte simpliciter *Mosen* vocat. Quando vero successorem hortatur, c. 3, ut legi ab illo latae obtemperet, commode Mosis, tamquam *Ministri sui* meminit, ad sui ipsius reverentiam eo magis commendandam. Josua rursus quo suam auctoritatem et potestatem recens conditam firmaret, quid melius facere potuit, quam ut viri, cui succederet, memoriam maximo honore extolleret? Igitur bis *Ministrum Dei* vocat in oratione ad tribus Transjordaniticus, semel simpliciter *Mosen*. Denique, uti haud raro, qui inferiori nati sunt loco, valde familiariter, et quasi socii eorum fuerint, de homine nobili loquuntur, Transjordanitici quoque Mosis nomini titulum illustrem illum non adjiciunt. C. III: 7 Deus denuo Mosen commemorans, apte vocat simpliciter *Mosen*, apte etiam ipse scriptor IV: 10, 12, 14, cum illis in verbis, ultimo forte excepto colo, nullus sit elatiori orationi locus.

Itaque mireris fortasse Cap. XI: 14, 16, quo loco simplex invenitur urbium regumque debellatorum enarratio, grandiolem Mosis mentionem. Cessas vero mirari, scriptorem fere ad finem operis sui pervenisse cogitans. Initio Jehovae mandatum tradiderat: Josuae omne peragendum esse negotium, quod lege Mosis *ministri Dei* traditum esset, quodque Moses ei praecepisset. Quod cum in fine monumenti Josua religiose perfecisse dicatur, scriptor eadem illustri Mosis mentione desinit, qua inceperat.

Negotiorum publicorum curam auctor huius monumenti Josuae tribuit, et bellicorum Capp. I, II, III, IV, VI, VII, VIII, X, XI, et vero sacrorum Cap. V, et iudicialium Cap. VII. In foedere tantummodo cum Gibeonitis feriundo, principibus reipublicae suae sunt partes, quod mirum videri nequit, quia istud negotium non tam ad militare, quam potius ad civilem pertineret rerum administrationem.

Nonnullae iam dicendi formae addantur, quibus auctor noster a caeteris distinguitur. Lex Moisaica vocatur I: 7, כל התורה אשר צוה משה; c. 8, ספר התורה. — Terra trans Jordanem sita, ארץ בעבר הירדן. I: 14, 15. II: 10. V: 1. VII: 7. IX: 1, 10. XII: 1, 7. Tribus Trans-Jordaniticae duplici appellantur modo, I: 12. XII: 6, הרואבני והגדי וחזי שבט המנשה. IV: 12. בני ראובן ובני גד וחזי שבט המנשה. Tum in Achanis historia tribus Juda bis commemoratur VII: 1, 18, quam auctor vocat מטה יהודה.

Tabernaculum vocatur בית VI: 24. IX: 23. —

Vocabulum **אלהים** nunquam Articulum recipit, ac his tantum usurpatur absque nomine *Jehova*. Poterat autem adhiberi Articulus II: 11, הוא אלהים,

Denique observandum est, in hoc monumento vocabula peculiari modo interdum inter se jungi, cuius constructionis in reliquis libri partibus non nisi unum modo aliud exemplum vidi. *Periodicam* dicere liceat istam constructionem. Incipit protasis Verbo substantivo, ויהי aut והיה, sequente alio Verbo cum coniunctione. Tum una pluresve interiiciuntur phrases, quae cum praecedentibus aut plane non coniunctae sunt, aut per copulam coniunguntur. Has tandem apodosis excipit, cuius initium rursus est litera Vau sive copulativa, sive copulativa simul et conversiva. Exstat illa constructio in his locis: III: 14—16. IV: 18. VI: 8—11. VIII: 24. X: 12 et 9. Unum iuxta alterum apponam.

Protases.

Cap. III.	{	ויהי בנסע העם מאהליכם לעבר את הירדן
— IV.	{	ויהי בעלת הכהנים נשאי ארון ברית יהוה מתוך הירדן
— VI.	{	ויהי כאמר יהושע אל העם
— VIII.	{	ויהי ככלות ישראל להרג את כל ישבי העי בשדה במדבר אשר רדפום בו
— X: 1.	{	ויהי כשמע אדני צדך מלך ירושלם כי לכד יהושע את העי ויחרימה
— — 11.	{	ויהי בנוסם מפני ישראל

Insertae phrases.

- Cap. III. { והכהנים נשאי הארון הברית לפני
העם וכבוא נאשי הארון עד הירדן
ורגלי הכהנים נשאי הארון נטבלו
בקצה המים
והירדן מלא על כל גדותיו כל ימי
קציר
- IV. נתקו כפות רגלי הכהנים אל ההרבה
ושבעה הכהנים נשאי שבעה שופרות
היובלים לפני יהות עברו ותקעו
בשופרות
וארון ברית יהוה הלך אחריהם.
- VI. { והחלוץ הלך לפני הכהנים תוקעו
השופרות והמאסף הלך אחרי הארון
הלך ותקוע בשופרות
ואת העם צוה יהושע לאמר לא תריעו
את קולכם ולא יצא מפיהם
דבר עד יום אמרי אליכם הריעו
והריעתם
- VIII. ויפלו כלם לפי חרב עד תמם
- X: 1. { כאשר עשה לירחו ולמלכה כן עשה
לעי ולמלכה
וכי השלימו ישבי גבעון את הישראל
ויהיו בקרבם
- X: 11. הם במורד בית חורן

Apodoses.

- III. . . . ויעמדו המים הירדן מלמעלה
- IV. . . . וישבו מי הירדן למקומם
- VI. . . . ויסב ארון יהוה את העיר
- VIII. . . . וישבו כל ישראל העי
- X: 2. . . . ויראו מאד
- X: 11. ויהוה השליך עליהם אבנים גדולות

Ad haec loca vix opus est ut moneatur צוה ,
 Cap. VI: 10, Plusquamperfecto tempore accipien-
 dum esse. Prior locus Capitis X in eo cum loco
 capitis III convenit, quod interiectae phrasi iterum
 nova veluti protasis immisceatur, vel certe ad pri-
 mum ויהי respiciatur. Quod Cap. III: 15 fit verbo
 וכבוא, X: 1 וכי השלימו. In hoc autem red-
 dendo loco cl. Palmius noster ante כאשר supple-
 visse videtur כי. Sic enim fere Latine sonat versio
 eius Belgica: «Accidit cum Adonizedecus, rex Hie-
 rosolymorum, audiret Josuam cepisse et devicisse
 Ai; sicut Hierichunti et regi eius fecerat, ita quo-
 que eum Ai et regi eius fecisse.” Syrus et A-
 rabs copulam addiderunt: ואיכנא דעבר לליריחו
 وانه كما فعل باريحا. Chaldaeus, Graecus, Vul-
 gatus nobiscum faciunt. כמא דעבר ליריחו . . . כן
 לעי, εν τρώπον ἐποίησαν τὴν Γεριχῶν, οὕ-
 τως ἐποίησαν καὶ τὴν Γαί.— «Sicut enim fecerat
 Hiericho et regi eius, sic fecit Hai et regi illius.”

In loco X: 9 copula deest parenthesis, ad instar
 loci ex Capite IV. הם autem pro Verbo substan-
 tivo positum esse, non opus est ut moneam.
 Qua de re iam diximus. Quod autem apodo-
 sis non a Futuro eum Vau conversativa initium
 ducat, sed a Substantivo cum Vau copulativa se-
 quente Praeterito, id ea de causa, opinor, ac-
 cidit, quod vis verborum in subiectum orationis
 caderet. Sic enim solet scriptor. Quod tantum
 obiter hic indicasse suffecerit, quia omnes libri
 partes in eo satis conveniant.

Ex dictis apparet, me calculum non adiecisse
 Eichhornio, viro summo, pro interpolatis habente

verba III: 15: « Jordanes autem plenus erat aquarum, diebus messis omnibus (11). » Nam praeterquam quod in periodica constructione merito locum suum tueantur, etiam paullo audacius factum videtur, verba, quae et in Codd. Mss., et in antiquis versionibus germanae originis notam habent, pro spuris et interpolatis habere. Quam ob causam doctissimus Meyer ipse suspicionem mittendam putat, quam de verbis, המים הידדים, מלמעלה, colo 16, quasi spuria essent, susceperat. Mirabar vero quum eundem illum de verbis III: 16 אשר מצד צרתן, et IV: 7 נכרתו מימי הירדן, quasi glossemata essent, dubitare viderem (12). Nam horum fides etiam in codicibus et versionibus indubitata est. Neque vero etiam ab auctore alienum est, accuratam locorum notitiam ac descriptionem dare. Quam ad rem conferatur e. g. VIII: 11. Taceo Nachtigallii de mirificis narrationibus, Capp. III, IV, VI obvias opiniones, dicam an somnia; quae in lucem protulit Henkii horreum (13). Tres aut quatuor, aut nescio fere quot ille fontes illorum capitum detegisse sibi visus sit. Sed profecto quicumque, accurate et prudenter ea legerit, inter se invicem et cum reliquis comparaverit, nihil impedit, quo minus ille in omnibus et singulis unum ingenium, unam res contemplandi ac de-

(11) Einleitung in das A. T. T. III. § 449. b. p. 389. not. m. Ed. IV. 1823.

(12) Vid. Bertholdt's kritisches Journal, T. IV. p. 343, sqq.

(13) Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte, T. IV. p. 519 seqq.

describendi normam, unam denique dictionem, unam omnino mentem et consilium agnoscat.

§ 2:

De monumenti huius argumento.

Sed hoc nimirum restabat, ut ex argumento horum capitum, quippe quod unum est, uniusque facti historiam exhibet, novum accederet meae sententiae pondus. Prius autem quam ulterius progrediamur, non abs er erit, decursum respicere iter, ut quousque iam pervenerimus luculenter appareat. Eo igitur sumus in loco, unde clarissime perspicari possit, quibusnam rebus, ad stilum et narrandi modum pertinentibus, huius monumenti auctor sese a reliquarum huius libri partium scriptoribus distinguat; nam quae attulimus, ea omnia nostro priva et propria sunt. Quae res eo magis in oculos incurrat necesse est, quo diutius in hac disputatione fuerimus versati. Etenim quae ex reliquis monumentis proferemus ad dicendi narrandique rationem pertinentia, eius erunt generis, ut quomodo et a nostro et a se invicem discrepent, inde appareat. Cum itaque iam nunc satis demonstrasse nobis videamur, nostrum, dictionis aequabilitate sibi semper constare, cumque iam satis firmum inde argumentum pro uno eodemque auctore huius monumenti peti possit, maiorem haec etiam inde sententia verisimilitudinem accipit, quod nostra capita unam, integram et absolutam complectantur narrationem, quae ipsa in se perfecta et absoluta dicenda esset, etiamsi a reliqua

libri parte penitus abscinderetur. Quod quum contendo, non vereor ne aliquis imprudenter dictum putet, si forte in interpolationes postea incidat, aut in unum alterumve turbatum locum. Cum enim absque miraculo vix fieri posse videtur, quin utrumque in libro occurrat antiquissimo, tum nemo litterarum vel Latinarum vel Graecarum non plane expertus nescit, plerosque auctores ea ratione turbatos fuisse. Sed haec iam sufficient. Ad rem ipsam transeamus.

Versatur noster in enarrandis rebus Palaestinsis terrae, trans Jordanem sitae, Josua duce ab Israëlitis expugnatae. Tres inseruntur narrationes, quarum prima de circumciso populo aliena quidem ab argumento videtur, neque tamen sine causa adiecta fuit, quum rebus aptius connecendis inserviat; duae aliae, de sacrilegio Achannis et de dolo Gibeonitico, arctius cum historia expugnationis coniunctae sunt. Denique scriptor, quo absolveret opus suum, in fine non solum devictarum a Josua urbium catalogum addidit, verum etiam Transjordaniticarum tribuum ditionem leviter adumbravit. Hic, inquam, unam habes absolutamque narrationem. Quae sequuntur facile apparet ea huc non posse pertinere. Etenim initio Capitis XIII tempus respicitur, quo permagna adhuc Palaestinae pars devincenda erat. Noster autem prius quam Transjordaniticae regionis descriptionem attingeret et captorum civitatum ad calcem catalogum adderet, narrationi finem imposuerat, his dictis: «occupavit itaque Josua omnem regionem.» Accedit quod prima capitis

XIII cola plane ex abrupto sint posita, ita ut longe alia praecessisse credas, quam quae vere praecedunt Cap. XII. Doctissimo Meyero aliter visum est; loquitur enim de continuo cursu narrationis, quem in his capitibus sibi conspiciere videtur. Vellem paucis declarasset, quibus in rebus illum conspexerit. Sed ne verbum quidem attulit quo sententiam suam adstrueret (14). Age vero internam huius monumenti indolem et compagem paucis clariorem in lucem colloceamus.

Quod ad consilium auctoris attinet, non dubium est, quin rerum gestarum historiam, ab obitu Mosis inde, in quo Pentateuchus desierat, continuare voluerit. Itaque a munere imperatorio Josuae delato initium facit, qui, cum Israël in eo sit, ut Jordanem transeat, Dei iussu populo indicit, ut ad hanc expeditionem omnia compareret, simul Transjordaniticos admonens, ut ex Mosis mandato fratribus opitulentur.

Quod imperatoris est, ut non nisi bene exploratam invadat terram hostilem, Josua illud fecisse dicitur, capite secundo, ubi colis 10 et 11, pariter atque C. I. Mosis facta respiciuntur. Tertium ordine temporum, locorum et rerum apte iam sequitur. Josua ex Sittim exploratores miserat (15), quibus reducibus, castra ex Sittim moventur ad flumen transeundum. Deus duci, hic sacerdotibus atque populo, quaedam in ipso transitu observanda praecipit. Tum huius ratio narratur; quae narratio, aliâ etiam, de monumento et

(14) Vid. l. l. p. 358.

(15) II: 1.

et in Jordane, et Gilgale erecto, insertâ, capite quarto absolvitur.

Sed hic mihi memoranda est Eichhornii sententia (16), hanc omnem duplici ex fonte mansisse narrationem, altero sincero ac incorrupto, eodem tempore, quo res narratae acciderunt, conscripto, nihil mirifici referente, altero traditionibus turbato, unde seriori aetate narratio orta sit miraculis plena, mythica. Mythicam etiam mitto interpretationem. Nunc id ago, ut omnem historiam ab una manu profectam et scriptam esse, ostendam. Ille igitur vir cl. (17) «omnia, inquit, mandata de transitu populo et «sacerdotibus injuncto, bis leguntur (III: 2—4, «5).» Sed, nimirum, c. 3 et 4 praecones iubent castra moveri, spatioque vacuo inter arcam portantes sacerdotes et populum relicto, illorum iter exercitum sequi. Quae leviora Josua c. 5 non curat, quippe ad praeconum munus pertinentia, curat vero, ut populus lustretur, ut purus ac intaminatus Dei miracula expectet. Itaque hoc loco statim monendum est, falli virum summum, quum fontem accurate distinguere studens duplicem, quintum colon deinde ad antiquiorem istum, in quo nil miri sit, referat. Etenim hoc ipso loco Josua de mirabilibus verba facit.

Eichhornius porro, «postquam jam c. 6. inquit sacerdotibus a Josua iniunctum est, ut «arcam tollant, Jehova demum c. 8 Josuae «praecipit, ut sacerdotes iubeat iter facere.»

Rec-

(16) Vid. l. l. T. III. § 449b.

(17) p. 384.

Recte quidem illud. Male hoc. Neque enim de arca tollenda, aut de itinere instituendo, sermo est, sed de eo, quod sacerdotibus faciendum incumberet, simul atque ad ripam fluvii venissent. Scilicet medio in itinere Josua hoc mandatum accepisse traditur.

Ille porro: «Felix transitus, inquit, quam «felicem habiturus esset exitum, bis praedictum «traditur, (III: 7, 10) pariter ac qualem re- «vera habuerit (IV: 14, 24).» Sed neque etiam horum una est ratio locorum. Nam priori quidem Deus Josuae fidem dat, sese victoriae die auctoritatem eius insigniter esse aucturum, illi se adfuturum, sicut Mosi adfuisset. Posteriori vero loco Josua populo verba facit. Ipsos illo die intellecturos, medios inter eos immortalem habitare Deum! Non video equidem, quidni utrumque locum habere potuerit. Cur vero Eichhornius dicat, capite IV: 14 et 24, prosperum illius expeditionis eventum commemorari, id plane non assequor. De c. 14 quidem recte monet, spectare illud ad honorem, quem felix fortuna Josuae conciliarat. C. vero 24. nihil aliud traditur, nisi quem in finem conditum fuisset Gilgale lapideum monumentum, ut scilicet maiestas Dei ab omnibus terrae incolis suspiceretur, et ipse Israël Numen suum debito honero prosequeretur.

Verior autem quibusdam videatur clarissimi Viri sententia, viros duodecim, qui monumentum illud exstruerent, bis commemorari, (III: 12. IV: 2); duplicem huius exstructi mentionem fieri, (IV: 9, 20); denique bis etiam huius

rei causam tradi posterorum memoriae commendandam, (VI: 6, 21.) In his quoque offendit doct. Meyer, qui horum colorum aliud ab alio auctore ortum putat (18). — Negari sane non potest, quartum caput aliquid turbati habere. Postquam enim narratio de flumine trajecto c. 14 ad finem iam perducta videtur, c. 15 denuo Dei iussum legis, sacerdotibus ex alveo egrediendum esse. Egrediuntur, aquae in alveum redeunt, monumentum Gilgale erigitur, quorsum pertinet Josuae ad populum allocutio. De his locis igitur breviter et modeste meam proferre liceat opinionem.

C. IV: 8 duodecim lapides ex Dei iussu in castra ex alveo transportati dicuntur. Colo 9 autem de aliis totidem lapidibus sermo est, quos Josua medio in alveo erexit, eo in loco, ubi pedes sacerdotum arcam foederis portantium steterant. בתוך הירדן תחת מצב רגלי הכהנים נשאי ארון הברית Hanc enim horum verborum simplicissimam esse puto explicationem. Dederunt eam Alexandrinus et Vulgatus, Houbigantius, Dathius et Palmius, vocabulum *alios* inserentes. Mirum in modum sese torquent Syrus et Arabs, ut sensum fundant reliquis narrationis partibus consentaneum. Quapropter eorum interpretationem apponere, non operae pretium esse videbatur. Nostram veram esse ex omisso Articulo luculenter apparet, quippe qui procul dubio praefigendus fuisset, si iidem hic lapides indicarentur, de quibus scriptor antea. Quod et Houbigantius docuit. Accusativus quoque eo consilio ante verbum collocatus esse videtur, quo magis

(18) Vid. l. l. p. 351.

gis in oculos incurrat, alios lapides significari, quam qui antea commemorati fuerant. Accedit denique, quod c. 19, ubi priorum illorum lapidum mentio fit, hi, ut accurate a reliquis discernantur, dicantur lapides, *quos ex Iordane sustulerat*. Meyer (19) hocce colon pro peculiari habet fragmento, quod omnia complectatur, quae prius tradita fuerant. Ad quam sententiam cum tum demum confugiendum esset, ubi nulla alia restaret verisimilior, reiiciendam eam censeo.

Colon 2 Houbigantius hinc male in C. III: 12 illatum putabat. Quod mihi secus videtur. Nam etsi verba satis convenient, non tamen plane eadem sunt, quae vero in iis occurrunt diversitates, eae huiusmodi naturae videntur, ut vix ab imprudenti librarii manu proficisci potuerint. Apponam utrumque locum:

Cap. III: 12 **ועתה קחו לכם שני עשר איש משבט ישראל**

— IV: 2 **קחו לכם מן העם שנים עשר אנשים**

— III: 12 **איש אחד איש אחד לשבט**

— IV: 2 **איש אחד איש אחד משבט**

Primum moneo vocabula, IV: 2 **איש אחד** deesse in nonnullis codicibus Kennicottianis et Rossianis; quae tamen auctoritas non sufficit, ut verba pro interpolatis habeamus. In antiquis versionibus quaedam varietas, non vero in illis vocabulis. A Vulgato abest **לכם** et **מן העם**; a Graeco **מן העם** et **שנים עשר**, quae habent Cod. Alex. et C. ap. Bosiam. — Sed haec in transitu. Altero in loco **ועתה** consilio omissum est. Non enim erat cur ad-

addideretur; quod inspecto loco facile apparet. Numerus porro hic in absoluto, illic in constructo statu positus, vocabulum hic in plurali, illic in singulari, pro tribubus Israëlitis, populus, numerale hic praepositus, illic postpositus, mutata praeposito מ in ל, haec omnia plura sunt, quam quae in altero loco temere describendo casu mutata censi possint.

Mihi quidem totius rei ratio huiusmodi esse videtur. Cap. IV: 10 Josua lapides *secundum Mosis praeceptum* erexisse dicitur. Hoc enim verbis significatur: כל הדבר. Unde efficitur, iam Mosen hac de re successori suo quaedam mandasse. Sed non de lapidibus tantum, opinor, praecepit, at vero etiam de duodecim hominibus, qui ad illos condendos eligendi essent. Iam igitur perspicuum fit, quid Josuam eo perduxerit, ut mandatum, III: 12 ederet, prius quam illa de re a Deo certior factus esset. Qui cum duodecim viros eligi iuberet, uti traditum est IV: 2, Josuae accessendi solum erant, quos iam paratos habebat IV: 4. Scriptorem denique hoc loco eosdem innuere, quos antea III: 12 Josua dixerat, clarissime ex Articulo patet numero עשר praefixo. Neque ab hac discedendum sententia censi, postquam doct. Meyeri vidissem opinionem, quae serius mihi innotuit (20), auctorem initio in animo habuisse, ut post ea, quae colo 11 retulerat, statim narraret, quae Cap. IV: 2 sqq. continentur, cum vero colon scripsisset, mutato consilio, ultima capituli III cola praemisisset, non deleto colo 12. Hinc igitur fac-

(20) Vid. l. l. p. 340—42.

factum esse, ut Cap. IV: 2 eadem fere repetierit:

Quod autem et colis 6, 7 et colo 21 sqq. causa detur, cur extrui illud monumentum oporteret, non video quid tandem illa in re insit molestiae, nisi quis omnem veritatis vel etiam verisimilitudinis modum excedere censeat, quod Josua duodecim viris, quum in alveum ad ipsum descendissent, consilium ac rationem operis, quod facturi essent, aperuerit, ac dein eandem rem aliis repetiverit verbis, quum lapides coram toto populo solemniter erigeret. Nimia quoque est harum, ut ita dicam, orationum convenientia, si quidem non adeo singula verba sed potius universam dictionis formam consideres, quam ut a duplici scriptore confici potuisse videatur. Lubet autem hanc ostendere dictionum his capitibus obviarum similitudinem. Quae Deus futura praedixerat, ea scriptor evenisse refert.

Cap. III: 7 היום הזה אחל גרלך

— IV: 14 ביום ההוא גרל יהוה את יהושע

— III: 7 בעיני כל ישראל

— IV: 14 בעיני כל ישראל

— III: 7 כאשר הייתי עם משה אהיה עמך

— IV: 14 ויראו אתו כאשר יראו את משה

כל ימי חייו

— — 24 למען יראתם את יהוה אלהיכם כל

הימים

Dein III: 8 de Sacerdotibus arcam portantibus qui, ut hoc obiter dicam, semper eadem denominatione indicantur, uti quoque ipsa *portandi* notio semper verbo נשא exprimitur: igitur de illis legimus, כבאתם עד קצה מי הירדן בירדן תעמדו

Scrip-

Scriptor. autem III: 17 וכבוא נשאי הארון
עד הירדן ורגלי הכהנים נטבלו בקצה המים
..... ויעמדו בחרבה בתוך הירדן
De viris duodecim eligendis et III: 12 et IV: 2
dicitur לקח.

III: 13 et IV: 18. כפות רגלי הכהנים
III: 15 והירדן מלא על כל גדותיו
IV: 18 על כל גדותיו וילכו

Adverbialis constructio verbi תמם utrique Ca-
piti propria est. Sed et haec antea adfuit.

Aeque accurate ac III: 15 locus, quo Israëli-
ae transierunt, describitur, aeque sedulo IV: 19
tempus. — Jam vero 14 priora cola capitis quar-
i mittimus, de quibus neminem dubitasse puto,
quin unius essent auctoris. De reliquis videamus.

Habes formulam תוך הירדן IV: 3, 5, 8, 9,
10, 18. Siccus alveus dicitur חרבה, III: 17.

IV: 18. Aquae Jordanis rediisse feruntur למקומם.
III: 3 de utrisque fuerat idem dictum. Phrasis

כתמור שלש IV: 18 adfuit III: 4. Lapi-
des e fluvio tollere, IV: 4, 8 quidem נשא,

20 לקח dicitur, sed idem, IV: 5 רום dic-
tum fuerat. Contra de erigendis illis IV: 9 et 20

הקיים.
Jam cum ad orationem duplicem ventum sit,
vide quam similis utriusque forma.

6. אשר ישאלון בניכם מחר את אבותם לאמר
21. לאמר כי ישאלון בניכם מחר

6. מה האבנים האלה ואמרתם להם
21. מה האבנים האלה והודעתם את בניכם למאן

Caeterum si cui utramque accuratius etiam con-

ferre libeat orationem, videbit, credo, in illa, quippe ad paucos habita, simpliciorem, in hac, quippe ad populum, elatiorem inveniri dictionem. Quod ubi perpenderit, non amplius mirabitur utriusque diversitatem, neque tantam esse eam putabit, at propterea de duobus cogitare auctoribus necesse sit. Potius de uno cogitandum esse sentiet, eo-que tali, qui apte, consilio, ratione, rerumque conditioni accommodate scribat.

Superest unum Eichhornii adversus haec capita dubium, quod facile tolli posse arbitror. « Altera, « inquit, ab altera recedit narratio. Haec (III: 11) « sacerdotes recto itinere fluvium traiecissee refert; « illa (III: 17. IV: 10) medio eos constitisse in « alveo, donec populus in oppositam ripam venisset. Haec monumentum in Jordanis alveo, illa Gilgalé conditum tradit. » Atque de hoc quidem satis dixisse videmur: Ad illud quod attinet, primum aliquid animadvertendum est de verbo עבר. Hoc enim duplici accipi potest sensu, qui Latine fortasse sic distingui possit, quod עבר cum Acc. reddatur *traicere*, עבר ב, vero *transire per*. Belgice duplex significatio duobus exprimi potest verbis: *doorgaan* et *overgaan*. Illa igitur significatione cum ב constructur. Sic bis I: 11. III: 2 de eundo per media castra. Hinc fit, ut scriptor, ubi de siccio Jordanis alveo transeundo cogitat, praepositione ב, ubi vero simpliciter de fluvio traiciundo sermo est, accusativo utatur. Duplex illa potestas clare conspicitur III: 17, ubi

... ישראל עברים בחרבה ער אשר תמו
הידרן

לעבר את הירדן. Conf. IV: 7, 22. Sic etiam III: 11 non legitur ארון—עבר לפניכם את הירדן, ante vos *Jordanem transibit recto itinere*, sed בירדן i. e. *ante vos ibit per alveum fluvii*. Atque hoc accidit. Cum vero medium in alveum pervenissent Sacerdotes constiterunt, populus transiit, illi postea demum egressi sunt.

Sed haec iam mitto. Verbo nunc monendum restat, quo modo turbatus, capite quarto, narrationis cursus, in integrum restitui possit. Num ita fieri debeat, num vere viderim, penes alios esto iudicium. Meyerus etiam dubitabat, num ordo narrationis turbatus esset; malebat tamen colon 15—17 pro fragmento interpolato habere. Hoc autem ordine ex mea sententia cola disponentur.

IV: 1—10, 12, 13, 11, 15, 16, 17, 18, 14, 19.

c. 10. Sacerdotes autem arcam portantes in medio stabant Jordane, usquedum omnia peracta esset, quae Jehova Josuae communicanda cum populo mandaverat, quaeque antea Moses praeceperat Josuae. Populus autem celeriter traducebatur.

c. 12. Traducti quoque Rubenitae, et Gaditae et dimidia tribus Manassis, expediti ante Israëlitas, quemadmodum Deus Mosi mandaverat.

c. 13. Quadraginta circiter militum armatorum millia transierunt, coram Deo ad praelium (egressi) in campos Hierichuntis.

c. 11. Universus autem cum traiecisset populus, traiecit quoque arca Jehovae, quam sacerdotes praecesserunt.

c. 15. Jehova enim Josuae dixerat:

c. 16. Praecepit sacerdotibus arcam portantibus, ut e Jordane escendant.

c. 17. Jussit igitur Josua sacerdotes: escendite e Jordane.

c. 18. Cum autem sacerdotes egressi vestigia pedum in sicco pressissent, aquae Jordanis in locum suum redierunt, et sicut antea ripas omnes inundarunt.

c. 14. Illo die Jehova Josuam ita magnum apud omnem Israëlem reddidit, ut eum per omnem vitam suspicerent, sicut Mosem suspexerant.

c. 19. Populus autem e Jordane escendit die decimo mensis primae, castraque prope Gulgalem posuerunt ab oriente finium Hierichuntis.

Sed video me his iam diutius immoratum fuisse, quam instituti mei ratio patitur. Itaque in argumento et nexu reliquorum capitum indicando brevis esse conabor. Quod eo facilius factu erit, quod nulla fere similis controversia nobis, ad finem properantibus, oberit.

Capite quinto primum circumcisionis, eo tempore factae, mentio est. (19). Quo accidisse fertur locus antea narratarum rerum rationi convenit (20). Tum festi Paschatis celebrati indicatur tempus locusque (21). Visio coelestis, quam postre-

(19) V: 2.

(20) V: 9. Coll. IV: 20.

(21) V: 10.

strema complectitur pars huius capituli, simul cum colo undecimo, ab Eichhornio ad mythos referatur (22). Idem fit a Bertholdto (23) et Wettio (24). Eichhornium tamen imprimis laudandum putabam, quia totam rem disertis verbis exposuit. Wettius una cum illo ab interpolationis suspitione non alienus videtur. Equidem profiteor, non intelligere, quid tandem impedimento sit, quominus narratio de illa visione cum capite sexto coniungatur. Quod si fiat, patet visionis consilium, nec eo absolvitur, quod Eichhornius affirmat, ut Josua pedes denudet. Cum praecedentibus haec historia satis apte connexa est, uti egregie Meyerus, qui tantum ob mythicam indolem dubitat, an ab auctore narrationis praecedentis scripta sit. Verba praeterea c. 13 **ויהי בהיות יהושע ביריחו** optime quadrant cum situ castrorum, quae IV: 19 Gilgale erant (25). Stilus huius narrationis abruptus quidem et brevis est; sed ne dicam, id argumento esse posse, auctorem eo, quo res acciderunt, tempore vixisse, easque fortasse ab ipso Josua accepisse, nunc tantum rogo, ut simile colloquium conferatur IX: 6—8, brevitate orationis non minus conspicuum. Neque etiam dictio habet, quod alium prodat scriptorem.

II-

(22) l. l. p. 382, 383.

(23) Historisch kritische Einleitung in sämtliche kanonische und apokryphische Schriften des A. und N. Testaments. Erlang. 1813, § 244. p. 852.

(24) Lehrbuch der historisch kritischen Einleitung in die Bibel A. und N. Testaments. Berlin 1822. § 166, 168.

(25) l. l. p. 353.

Illā certe c. 14 ויפל יהושע אל פני ארצה, illa, inquam, redeunt VII: 6, אל mutato in על, quod saepius fieri infra dicendum erit, in alterā huius capitis sectione. Caetera mittimus quum nulla in re discrepent.

Jam quae sequuntur capita, unum excipit alterum, unum pendet ex altero, unum cum altero arctissime coniunctum est. Non peccasset Achan, nisi capta fuisset Hiericho et Deo devota. Ob crimen Achanis Israëlitae inferiores Aiitis e proelio discediunt. Tum demum, postquam ille poenas dedisset, Ai capitur. Quam sortem et Hierichunticam metuentes Gibeonitae, Josua fraude circumvento, sibi salutem parant. Quos septem foederati Reges punituri, Israëlis gladio coelique grandine, cum exercitibus suis atque urbibus, exciduntur. Tandem Jabin cum suis ultro in certamen prodeunt. Quibus devictis, auctor digito reliquas Josuae expeditiones indicat, quarum quum finis fuisset in saluberrima Israëlitis quiete, denique, ut scilicet omnem belli historiam uno volumine comprehensam habeas, brevem universae Palestinae delineationem, captarumque urbium catalogum addit.

Itaque nexum et consilium narrationis his capitibus complexae persecuti sumus, unde verisimilior fit sententia, singulare hoc esse unius monumentum auctoris. Prius vero quam caussa dicta videatur, dubia quaedam virorum doctissimorum refellenda sunt, qui contrariam viam inveniendam putarunt.

Primum itaque animadvertimus, Eichhornium

um (26) rursus duplicem sumere fontem loci, Cap. VIII: 3 et 12. Alius hic, alius illic militum numerus refertur, quos Josua in insidiis Ai collocaverit. Ex hac igitur diversitate argumentum petit pro sua opinione Eichhornius, at vero nulla praeterea in illa historia inest diversitas aut difficultas sed uno quasi tenore apte omnia decurrunt. Quapropter suspicari malim, locum fuisse a scribis interpolatum, idque eo magis, quod in Graeco exemplo Vaticano, c. 12, verba ויקח—אותם desiderentur, quae sane lacuna indicio est, antiquitus variam fuisse lectionem. Neque tamen ea tantum vocabula pro interpolatis habenda esse censeam, sed integrum potius colon. Etenim sollemnis nostri scriptoris mos postulat, ut pro הארב scribatur ארב, quia harum insidiarum mentio antea iniecta est. Alias explicationes quas in nota protulit Eichhornius, ipse sibi probare non potuit. Hunc sequitur Wettius (27).

Caput XII Bertholdto singularis scriptio videtur (28). Cui assentitur Wettius (29). De huius Viri docti sententia pluribus dicam necesse est. Nam sibi ipsam, capitibus X—XII enarratam, historiam obloqui autumat; haud raro nempe earum urbium obsidionem commemorari, quas iam antea ipse auctor captas fuisse retulerat. Quod autem ad Cap. X: 36, 38 coll. XI: 21 attinet, nonne fieri potuit, ut Hebron, ut Debir antea iam deleta,

(26) l. l.

(27) § 168.

(28) l. l. § 243 in not. p. 850.

(29) l. l.

ta, postea cum Josua in aliam abiisset regionem, rursus ab hostibus occupata fuerit, ita ut ipsa ruderata gigantibus propugnacula fuerint, ex quibus Israëlitae infestarent agrosque popularentur? Nonne haec eorum pertinacia eo adducere Josuam potuit, ut denuo adversus illos egrederetur funditusque eos deleret? Quidni idem rursus postea accidere potuit, Josua iam vita defuncto, cum novos spiritus sumsissent gigantes; quod causa extiterit rei gestae, Jud. I: 10, 11, enarratae? Idem valet de Capite XII: 12, 16, 21, 23, coll. Jud. I: 22, 27, 29.

Quas Wettio sibi invicem repugnare videntur Cap. XI: 23. XII: 7. Coll. XIII: 7. XIV: 1, 2. XVIII: 2 seq. XXIII: 1, 5. XXIV: 13, 28, ea revera nihil habent difficultatis, si nostra vera est sententia, capitum undecimi ac duodecimi auctorem reliqua ista capita non scripsisse. — Si de populis quaeritur residuis, quos Josua memorat, Capp. XXIII et XXIV, monendum, ex Cap. XI: 22 constare, gigantes utique fuisse superstites, quos Josua non subiecisse dicitur. Ceterum tenendum est, nostrum de expugnatione Palaestinae in universum tantum verba facere, quae vero maxime loca, quae regiones occupatae fuerint, accuratius persequi nolle. At secundi monumenti auctor eas nominatim enumerat regiones, quae nondum devictae fuerant. Neque hic, neque ille profecto unquam suspicati sunt, fore olim, ut, quae diverso consilio scripsissent, in unum historiarum corpus colligerentur. Jam coniunctim editae videntur sibi hic

illic contrariae. Quae vero diversitatis species ipsa pro nostra militat opinione, diversa monumenta libro Josuae contineri, a diversis auctoribus edita. Wettius autem, ut dicam quod sentio, sibi ipse obloquitur. Nam etsi decimi ac undecimi capitis pugnam permagni facere videatur, tamen prima undecim capita efficere ait unam integramque narrationem (30).

Itaque iam quod ex dictione probare studueram, id quoque ea argumento efficere conatus sum, monumentum, quod nobis in libro Josua primum occurrit, peculiarem esse scriptionem, cum caeteris libri partibus nullo vinculo coniunctum.

SECTIO ALTERA.

De dictionis in hoc monumento varietate.

Instituti nostri ratio postulat, ut tandem notetur, quae varietas stili et dictionis in his capitibus reperiat. Quae cum nonnullis fortasse nostrae sententiae contraria videatur, brevibus hoc de loco nobis erit disputandum, uti jam antea declaravimus.

Capite primo Infinitivus Constructus **וְאָמַר** constanter, tamquam formula peculiaris, ante ipsa verba collocatur, quae locutus fuisse quis referatur.

(30) Conf. § 167, 168.

tur. e. g. c. 1. לאמר—ויאמר יהוה— Coll. c. 10, 11, 12, 13, 16. In reliquis capitibus fere omnibus nunc legitur, nunc omittitur. Illud fit II: 2. III: 3, 5, 8. IV: 1, 3, 6, 15, 17, 21, 22. VI: 10, 26. VII: 2. VIII: 4. IX: 11, 22. X: 3, hoc II: 9, 14, 16, 17, 24. III: 5, 7, 9, 10. IV: 5, 7. V, 2, 9, 13, 14, 15. VI: 2, 6, 16. VII: 3, 7, 10, 13, 19, 25. VIII: 1, 18. IX: 6, 7, 19, 21. X: 8, 18, 22. XI: 6. Nonnunquam pro לאמר pleonastice legitur persona singularis aut pluralis. e. g. IV: 5 coll. c. 4. VII: 20. IX: 24. X: 24.

Omnia itaque sequentia capita a primo hac in re recedunt. Sed, quod etiam supra monuimus, sine miraculo prorsus non fieri poterat, ut primum caput brevi spatio omne complecteretur dicendi genus scriptori proprium. Itaque collatis reliquis capitibus in eo positus fuisse patet nostri character, quod in Infinitivo illo usurpando, libertate quadam usus fuerit. Illud igitur quod pugnae videbatur indicium, iam aequabilitatis signum evadit.

Similiter scriptor, inconstantiae speciem praefert, ubi responsum alicuius refert. Quod quidem primo capite indicatur verbo ענה. c. 16, secundo verbo אמר. Conf. c. 14, 16, 17, 21. Sic etiam capite quinto, c. 14, 15. Septimum et nonum medium quasi iter terrent. Habent enim אמר VII: 10. IX: 8, 9. ענה VII: 20. IX: 24. In reliquis respondendi notio non occurrit.

Populus Israëliticus capite primo dicitur עם. c. 2, 6, 10, 11. Inde vero a capite tertio;

C. enim II. gentis notio non occurrit; vocabulum **גוי** quoque nonnunquam in usu est, etsi **עם** multo saepius usurpetur. **גוי** itaque legitur III: 17. IV: 1. V: 6, 8. **עם** III: 3, 5, 6, 14, 16. IV: 2, 10, 11, 19. V: 4, 5. VI: 5, 8, 10, 16, 20. VII: 3, 4, 5, 7, 13. VIII: 3, 5, 9, 10, 11, 16. X: 21. XI: 7. Quum autem aliquando **כל** ante se habeat, aliquando non item, insuper animadvertendum est, **עם**, duplici hoc in casu, singulari et plurali numero promiscue occurrere. Coniunctim cum **כל** singulari numero ponitur I: 2. IV: 14. V: 4. VII: 3. VIII: 3. XI: 7; plurali V: 5. VI: 5. VIII: 11, 16. X: 21. Sine adiecto **כל** singulari numero scribitur VI: 20; plurali I: 6. III: 3, 5, 14, 16. IV: 10, 19. VI: 10; 20. VII: 7, 13. VIII: 13.

גוי coniunctum cum **כל** semper plurali numero scriptum invenitur.

Duarum particularum connexarum *sicut — ita*, **כנ**—**כאשר**, haec deest I: 5, **כאשר הייתי עם**, **כנ**—**איהו עמך** sic III: 7. Sed IV: 8 expressum est **כנ**—**כאשר צוה** ויעשו **כנ**—**כאשר צוה**. Aliter etiam I: 17. **ככל**—**אשר שמענו**—**כנ**—**נשמע**. Legitur X: 1. Omittitur X: 28, 30. Legitur rursus c. 39. XI: 15. Sic igitur in decimo capite utraque scribendi cernitur ratio.

Cap. I: 14 habes **גבורי ההיל**, pro quibus IV: 13 **הלוני הצבא**. Hoc non redit. Illud VI: 2, VIII: 3. X: 7. aliter V: 6 **אנשי המלחמה**; aliter X: 2 **אנשיה גבורים**; וכל **אנשיה גבורים**; aliter VIII: 1. X: 7. **עם המלחמה**.

De loco, in quo quis versatur, si sermo est, שם et שמה permutantur. Hoc enim legitur II: 1, 16, illud IV: 3, 9.

Initio phraseos, ad attentionem excitandam, legitur הנה Cap. II: 2. III: 11. V. 13. Pro hoc VI: 2. legitur ראה, repetitum VIII: 1, quo tamen capite etiam הנה occurrit, c. 20. Simul vero nova hic forma invenitur, cum ראו in plurali scribatur colo 4 et 8. Quod non pro imperativo habendum est, pleonastice usurpato, uti saepius עלו, לנו, קום usurpantur. Sed loco טוּ הנה positum est. Quod locis collatis facile patebit.

Cap. V: 2 ויאמר למלך יריחו הנה אנשים

באו

— VI: 2 ויאמר יהוה אל יהושע ראו נתתי

בידך את העיר

— VIII: 4 ויצו אותם לאמר ראו אתם

ארבתם לעיר

Postremo in loco non dubitandum, quin Participio insit vis Futuri, quae vis, uti Gesenius monuit (31) post הנה imprimis conspicua est. Quam itaque cum post ראו eandem esse videamus, hoc pro הנה usurpari certum est. Poterat autem scriptor, etsi ad plures haberetur oratio, scribere הנה. Nam hoc etiam simili occasione scriptum est III: 11, הנה ארון—עובר לפניכם בירדן.

De urbe capienda VI: 20 לכר, de incendenda שרף usurpatur, quod ultimum quoque VII: 15, 25 in usu est. VIII: 8 vero pro illo habes תפש, pro hoc, נצה c. 8, 19. Neque tamen

שרף

(31) Vid. Grammatica § 215. I. c. p. 792:

שרף ignotum est huic capiti; conf. c. 28. nec etiam לכר, conf. c. 21. Adest hoc etiam cap. X: 28 sqq. reditque XI: 10, 12, 17. שרף, XI: 9, 11, 13.

רף cum praepositione אחר construitur, II: 5, 7. VIII: 16. X: 19. Accusativum regit VII: 5.

שוב I: 15. IV: 19 construitur cum ל loci ad quem quis revertitur. X: 15, 18, 43. XVI: 14 accusativum regit. X: 15 cum אל construitur.

קרא vocavit cum אל construitur IV: 4. VI: 6. X: 24. Cum ל IX: 22.

Notio colligendi exercitus triplici ratione in tribus diversis capitibus exprimitur. IX: 2 קבץ in Hithpahhel. X: 1. אסף in Niphal. XI: 5 ועד in Niphal.

נום cum לפני construitur VII: 4. VIII: 5, 6. Cum מפני, X: 11.

בוא cum אל, II: 3, 23. VII: 23. X: 19. cum על, XI: 7.

שום notione ponendi aut constituendi aliquam rem in aliam, cum ל construitur, VI: 18. Sine ל VIII: 28. Cuius tamen diversitatis eo minus est momentum, quod היה eodem sensu et sine, et cum ל scribatur. IV: 6, 7.

XI: 11, 22, יתר, pro quo antea שאר VIII: 22. X: 28, 39, saepius. Sed tamen XI: 14, 22 hoc quoque legitur.

Ex hac itaque diversitate in verborum usu singularum apparet ea, plerumque levis esse momenti; quae autem inde oriri posse videatur diffi-

ficultas, plerumque hac tolli observatione, quod ubicunque ignotum verbum aut insueta constructio in capite quodam inveniatur, in eodem illo saepissime etiam eiusdem vocabuli exemplum exstet, significatione antea a scriptore usurpata. Saepe quoque factum cernimus, ut quum eadem significatione alia vox usurpetur in alio capite, rursus in utroque alia quidam significatione eadem vox ponatur.

Sed de nonnullis formis grammaticis videamus.

Substantivum si per pronomen affixum, aut per genitivum sequentem definitur, aut si ipsum nomen proprium est, adiectivum vel pronomen definitae notionis sibi annexum habens, hoc articulum recipere potest vel etiam eo carere (32). Hac in re capita nostra non unam sequuntur rationem. Additur articulus II: 17, 18. V: 6. VI: 17, 25. VII: 9. Omittitur II: 14, 20. Cum autem utraque ratio mox in secundo capite obvia sit, non dubium est, quin utraque propria fuerit uni scriptori.

Notio loci in quem quis tendat, capite primo vel accusativo adverbialiter posito exprimitur, e. g. c. 6. תָּמוֹר—יָמִין וְשִׂמְאֵל coll. c. 7, 9, vel praepositione ל c. 15. וּשְׁבַתֶּם לְאֶרֶץ אֵל c. 2 עָבַר אֶת הַיַּרְדֵּן אֶל הָאֶרֶץ coll. c. 16, vel denique מ, c. 4 מְבֹאֵת הַשֶּׁמֶשׁ (33). Secundo capite accusativus hic usurpatur c. 1, 2, 5, 6, 7, 16, 18, 19, 22. ל, c. 3, 16. אֵל

(32) Vid. Gesenius § 168. 2. p. 659.

(33) De huius praepositionis significatione *versus*, v. Gesenii Lexicon in voc. 3. b. p. 428.

אל et ב non usurpantur. Pro his vero על c. 7, 8. ב c. 18. Jam vero in reliquis capitibus nulla nova forma ad hanc significationem indicandam legitur, sed earum, quae primis duobus capitibus adfuerunt, una aut altera. Cap. III: 9 accusativus c. 16 על et ב. Cap. IV: 5, 8, 13, 18. אל c. 18 ל. V: 1, 14 accusativus. VI: 11, 14, 20, 22 accusativus VII: 2, 6, 22, 24 accusativus. VIII: 1, 3, 10, 19, 20 accusativus. c. 5, 9, 18, 29 אל. c. 13 ב. c. 11, 13 ב. IX: 6 accusativus et אל. X: 6 accusativus et אל. c. 15 אל. c. 18, 19, 20, 21, 29, 31, 34, 36, 38, 43. XI: 17 accusativus. XI: 2, 3, 8 ב. XII: 13, ב. c. 3, 7 accusativus.

Loci, in quo quis versetur, notio praeter solitam ב, etiam effertur praepositione אל, V: 2. Cum autem ibi collis sermo sit, ita ut pro ב potius על expectandum fuisset, insuper observandum videtur: Cap. XI: 3 אל pro על scriptum esse, ויסבו אל מי מרום על enim plerumque in usu est, ubi locus quidam ad aquarum oras situs legitur, coll. XI: 7. VI: 1. על autem saepe pro אל usurpatur. Conf. Rossius in var. lect. ad XI: 7.

Tempus, quo quid fiat, accusativo significatur. I: 1 והגית בו יומם ולילה. Sic etiam II: 3. Sed c. 5 quoque ב cum ablativo usurpatur, יהי השער לסגור בחשך. Utamque vero rationem scriptori propriam esse sequentia docent. Accusativo utitur III: 2, 7. IV: 3, 6. V: 9. VIII: 3. XI: 6. ב III: 1. IV: 14, 19. V: 2, 10, 11, 12. VI: 11, 14, 15. VII: 14, 16, 17. VIII:

9, 10, 13, 24. IX: 17, 27. X: 28, 35.
XI: 21.

Cap. II: 3⁴ ad duos viros pronomen refertur
singulare, ותצפנו. Simile quid in his capitibus
postea non recurret. Sed praeterquam quod una
exceptio vix quidquam faciat contra communem
illorum originem, insuper animadvertendum est,
in personis ac numeris permutandis nostrum sui
dissimilem et inconstantem esse solere. Sic, ut
hoc utar, I: 2 Deus non nisi ad Josuam ver-
ba faciens singulari utitur קום עבור. Mox quasi
ad universum se convertat populum, plurali. Quod
tamen ferendum esset, si pro רגלכם auctor posu-
isset רגלהם. Tunc enim filios Israëlis intelligere
re posses, quos Deus modo memoraverat. Nunc
nullam omnino regulam observatam cernis. Colo
4 pluralis servantur, II: 5 vero singularis redit.
Sic IV: 2, 3 Deus Josuam alloquens plurali uti-
tur. V: 6 scriptor quam antea usurpaverat ter-
tiam personam, subito in primam mutat. Sed
omnem hanc rem accuratius exponere longum sit.
Conf. VI: 2, 3, 5, 11. VIII: 2. IX: 24, 25.
X: 28 sqq. Haec loca permutationum inprimis
tertiaie pluralis et singularis plena sunt. Conf. XI:
7, 8, 10, 11, 12.

Verbum, quod dicunt, impersonale non eadem
ratione ubivis effertur. Solet tamen hic usurpari
tertia persona pluralis. E. g. II: 7 והשער סגרו.
Coll. V: 5, 7. VI: 11, 24.

Bis ponitur tertia singularis V: 9. ויקרא שם
המקום nisi subintelligatur *Josua*, aut nomen eius
exciderit. Quod satis probabile videtur. Addidit

ipsum Arabs. Conf. porro VII: 26. Denique Infinitivus cum praepositione impersonaliter usurpatur, VI: 5 **ויהי במשך בקרן היובל**.

Pronomen relativum, in accusativo positum, sola plerumque particula **אשר** indicatur, non addito Pronomine affixo cum nota **את** e. g. I: 2, 7, 9, 11, 13, 15, 16, 17, 18. II: 17, 20. IV: 4, 10, 20, 23. V: 6. VI: 17, 25. VII: 11. IX: 13, 20, 27. X: 32, 35, 37. XI: 15, 23. XII: 1. Semel tamen iterumque haec adduntur. e. g. II: 10 **אשר החרמתם אותם** coll. X: 25.

Cap. V: 10 legitur **בארבעה עשר יום לחדש**. Sed cap. IV: 19 deest **יום**, quod vocabulum deesse solet in hac constructione, uti Gesenius docuit (34). Qui tamen de numeris decimum excedentibus numeram non diserte monuerat. Nonnulla tamen, in quibus deficit, loca in Sacro exstant Codice, etiamsi longe plura exstant in quibus **יום** adscriptum est. Conf. Levit. XXIII: 5. 2 Reg. XXV: 27. 2 Chron. XXX: 15. XXXV: 1. Esr. VI: 19. VIII: 31. X: 9. Esth. III: 13. VIII: 12. IX: 17. Jerem. LIII: 12. Ezech. XXIX: 1. XXXII: 17. XLV: 21. Hagg. II: 2, 21. In plerisque his locis de diebus ad Paschatis festum pertinentibus sermo est.

Bis Verbo Accusativus praeponitur, ubi orationis vis in ipsum non cadit. Conf. II: 7 **והשער סגור** et VII: 12. Quod uti Grammaticorum legi adversatur, ita ceteroquin a nostri more alienum

(34) Vid. l. l. § 182. 2: p. 701.

num est; quapropter loca duo ista ad exceptionum classem referenda sunt. Regulam sequuntur: II: 16, 18, 19. IV: 9: 20. V: 7. VI: 10, 24, 25. VIII: 23. IX: 14. X: 28. Monendum est autem nonnullorum horum accusativorum emphasin in eo esse positam, ut nomen in accusativo scriptum alteri cuidam opponatur, et quo magis incurrat in oculos, in fronte veluti sermonis collocetur.

Semel, VII: 15, nota את locum post Passivum obtinet. **יִשְׂרָאֵל אֶתְּוֹ וְאֶת כָּל אֲשֶׁר לוֹ**.

Cap. VI: 17 **הַחֲבָאָה**, insolita forma est, Non saepius in hoc monumento, neque etiam in alio hujus libri loco occurrit. Eodem capite colo 25 formam habes vulgarem **הַחֲבָאָה**.

Cap. X: 24 **הַהֲלֹכָא** duas offert notabiles a regulis exceptiones. Alteram, ה demonstrativam, loco Pronominis relativi. Alteram א in fine tertiae pluralis. Formam Arabicam **بِ** contulit Gesenius (35). Quater solum in V. F. legitur. Nostro in loco aliquantum suspecta est: non modo enim in Bibliis Soncicensibus et Brixiensibus, inque Prophetis Soncicensibus, sed etiam in multis Codicibus, quos Rossius melioris ait esse notae, illa litera desideratur. Contra observandum tamen, multo facilius investigari posse, unde factum ut omissa sit, scilicet ex negligentia scribarum, quam cur recentiori aevo addita ab aliena manu.

Cap. XI: 16 in **וּשְׁפִלְתָּהּ** observanda est ה affixa pro ו. Gesenio antiquiori orthographiae vi-

de-

detur accepta referenda. A Masorethis constanter in Vau consuetam mutata est (36).

Omnes hae formae, regulis Grammaticis contrariae, non alibi apud Josuam, quam in hoc monumento inveniuntur. Habes igitur in quas incidi diversitates vocabulorum et grammaticarum formarum, a quibus ad alias quasdam stili et orationis transeundum est.

Sic in Josua nuncupando inconstans noster est. Cap. I: 1 *Filium Nunis* vocat. In promptu caussa est. Scilicet in limine operis, quod in rebus illius gestis versatur enarrandis, gens ac origo imperatoris indicanda erat. Sic fere omnes orientales, quin ex occidentalibus multos, e. g. Cornelium Nepotem, solere notissimum est. Iterum Josua initio secundi capituli eodem nomine appellatur. Habes denuo ad manum rationem. Ad aliam rem transit scriptor, igitur honoris veluti gratia belli dux non suo solum nomine significandus videbatur. Qua ad finem perducta narratione iterum dicit Josuam *Nunis Filium*, c. 23. Capitibus iam tribus sequentibus semper eum simpliciter *Josuam* vocavit. Cap. VI: 6 vero media in narratione patronymicum illud addidit. Itaque hac in re sibi perparum constat. Sed levis est momenti haec varietas, neque magni facienda.

Arca foederis, quae dicitur, capitibus III, IV, VI saepius commemoratur. Cum autem sive simpliciter *arca*, sive *arca foederis*, sive *arca foederis Jehovae*, sive *arca Jehovae* promiscue appel-

(36) v. Gesen. l. l. § 60. not. 3. p. 212.

pelletur, Cap. IV: 16 ארון הערות vocatur, quo nomine alibi in hoc monumento non insignitur.

Jordanes, fluvius הירדן dicitur III: 1, 11, 14, 15, 17. מי הירדן III: 8, 13 ac duplici forma מימי הירדן IV: 7.

Pro phrasi VIII: 20 ולא היה להם ידים V: 1 habes וימם לבבם ולא היה עוד רוח בם II: 11 וימם לבבנו ולא קמה עוד רוח באיש VII: 5 וימם לבב העם ויהי למים.

Non plura, quae huc conferrem, habebam. Una et altera diversitas iam in priori Sectione fuit notata, cum aut ipsa ad dictionis aequabilitatem demonstrandam faceret, aut ad illud pertineret genus orationis, quo noster a scriptoribus caeterorum libri huius monumentorum distinguitur. Itaque non vereor, ne quisquam hac diversitate adeo commoveatur, ut nostram de peculiari huius monumenti auctore sententiam propterea in dubium revocandam censeat, neque potius eam maiorem inde accepisse vim et auctoritatem, existimet.



CAPUT SECUNDUM.

DE CAPITE XIII: 1—14. XXI: 43—45. XXII:
1—9. XXIII. SIVE DE SECUNDO HUIUS
LIBRI MONUMENTO.

Accidit mihi ipsi inopinatum, cum argumenta satis valida invenire mihi viderer, ut haec monumenta mediis de locis suis auferrem, inque unum locum, unius quasi liberos parentis, coniungerem. Qua de re diu me haesitasse profiteor, omnibus vero calculis, quantum virium erat, rite subductis, in hanc abeundum putasse sententiam. Sperabam enim fore ut lector, si forte quem haec scriptio haberet, nisi omnino de eius veritate persuaderetur, ita tamen iudicaret, eam veritatis speciem praese ferre non inanem. Quae autem me tenuit dubitatio, ea non circa illud versabatur, num haec fragmenta ab uno omnia confecta essent auctore, sed illud incertum erat, num eius qui primum conscripsisset monumentum, an vero alius cuiusdam viri esset opus. Etenim multa illis vocabula inesse animadverteram, phrases, grammaticas formas, alia dictionis genera, quae ex illius ingenio et dicendi ratione fluxisse viderentur. Sed tamen cum ex altera parte bene multa cernerem, quae in primo monumento plane non vidissem, haec et alia, in quibus ab eo abiret, in eam me induxerunt opinionem, alium nostra fragmenta habuisse
auc-

auctorem, prima duodecim capita alium, nostra vero talem, qui hunc sibi imitandum proposuerit, hunc ob oculos habendum putaverit, unde stilus atque oratio hominis colorem primi monumenti contraxerint. Cum autem de fragmentis, loco tam longe dissitis, longe verisimilior videatur sententia, ea diversis scriptoribus, quam quidem uni esse tribuenda, non operae pretium me facturum putavi, si quoque de iis probarem, pariter ac de primi monumenti capitibus, in nonnullis a se invicem illa esse diversa. Neque vero etiam haec tanto aut numero aut pondere sunt, ut dignae videantur quae notentur. Itaque potius priori huius capitis Sectione nonnulla indicia afferemus, quibus huius atque primi monumenti convenientia clara in luce collocetur. Posteriori declarabimus nostro consuetas formas dicendi, quibus cum sibi ipse constat, tum a reliquis diversus est monumentis. Ex argumento nexuque narrationis nullum pro sententia mea argumentum peti potest. Consilium enim unum diversis in partibus non conspicitur, altera ab altera non pendet, quapropter ea iam aliquoties fragmentorum nomine compellavi. Ultima tantum vigesimi primi capituli cola, ordinem si consideres temporum, invicem cohaerent.

Prius vero quam huius disputationis initium faciam, verbo monendum est; ne cuiquam mirum videatur, quod capitis octavi et decimi loca interpolata non antea tractanda sumserim, quam ad hoc monumentum transirem; monendum est igitur, me hunc mihi ordinem proposuisse ser-

vandum, ut primum in iis, quae amplioris magnitudinis sunt, libri partibus versarer, deinde in iis, quae minoris.

SECTIO PRIOR.

*De convenientia dictionis huius monumenti
et primi.*

Verbum **אמר** et pleonastice et non pleonastice in usu est, ubi ipsa cuiusdam verba sequuntur. Conf. XIII: 1. XXII: 2, 7. XXIII: 2. Forma **לאמר** semel legitur. XXII: 8. Cf. supra p. 3, 41, 42.

Vocabulorum **שבט** ac **מטה** usus non convenit, si quidem vera est lectio recepta, XXII: 1. **ולהצי' מטה מנשה**. Nam in primo monumento **מטה** bis tantum adfuit, iisque in locis, ubi quasi ex tabula genealogica allatum ac insertum, non a manu scriptoris ortum videretur. Hic vero in ipsa adest narratione. At **שבט** legunt multi Codices Kennicottii et Rossii, Biblia Soncin. Proph. Soncin. 1486. Unde mihi suspicio orta est, librarium, qui recens a lectione tabularum topographicarum, quae praecedentibus capitibus continentur, quaeque in primis usu vocabuli **מטה** distinguuntur, in hoc colon incideret, hic quoque pro **שבט**, **מטה** legendum putasse. Alibi usus

טעו שבט convenit, v. XIII: 7, 14. XXII: 7, 9. XXIII: 4.

נתן cum ל construitur XIII: 8, 14. XXI: 41. XXII: 4, 7. XXIII: 13, 15, et cum בר XXI: 42. vid. p. 3.

כתב cum ב, XXIII: 6. vid. p. 3.

צוה cum accusativo XIII: 6. XXII: 2, 5. v. p. 4.

שמע cum ב. XXII: 2. v. p. 3.

עשה in malam partem habet ל, XXIII: 3. v. p. 3.

בעיניכם, XXIII: 13. v. p. 3.

הנה et ראו permutantur, XXIII: 4, 14. v. p. 44.

Sic nostrorum locorum alter hoc, alter illud habet, quod iis congruum sit, quibus dictio primi monumenti, quod ad vocabula attinet, a dictione reliquorum discernitur. Quaedam omnia habent fragmenta communia.

In formis grammaticis idem habet locum.

Articulus substantivo definitae significationis nequaquam praefigitur, si nomen proprium regit in Genitivo, ad quod articulus traduci non potest. Conf. XIII: 3. גבול עקרון, Coll. c. 5, 6, 8, 9, 10, 12, 13, 14. XXI: 43. XXII: 2, 3, 4, 5. XXIII: 2, 16. Conf. supra p. 8.

Genitivo indicando ל non adhibetur. v. p. 10.

Nomini in accusativo posito non praemittitur nota casus sui, si neque nomen proprium est, neque articulum habet, neque affixum pronomen. Conf. XIII: 14 נתן נחלה coll. XXII: 3, 7. XXIII: 6, 9, 10. v. p. 10.

Adiectivum et Pronomen, si substantivo annexa sunt, articulum aut recipiunt, aut omit-

tunt

tunt pro substantivi ratione. v. XIII: 2, 5, 7, 13. XXI: 43. XXII: 3. XXIII: 1, 3, 4, 7, 9, 12, 14, 15, 16. v. p. 11.

Duo exempla habes Nominativī absoluti: XIII: 6, כל ישבי ההר—בל צידנים אנכי אורי שם Conf. XXIII: 19. v. p. 12.

Praeterea autem in aliis dictio convenit.

Summum Numen nominibus nuncupatur primo monumento maxime consuetis, יהוה, vel יהוה אלהים, vel denique ישראל אלהים. Conf. XIII: 1, 14. XXII: 2. In quibus nominibus usurpandis, auctor semper consilio egisse videtur. Quod a scriptore primi monumenti aliquando, sed tamen raro, neglectum est. Noster in simplici narratione, XIII: 1 simpliciter *Jehova*, c. 14 vero, ubi maiestas Dei significanda erat, quippe cuius sacerdotium Levitis satis esset haereditatis, *Jehova Deus Israël*. Josua, Cap. XXII, Trans-Jordaniticis dimittens, uti Mosis magis honorificam iniicit mentionem, quem *ministrum Jehovae* appellat, ita quoque Summi Numinis. Quam rationem quoque in solempni oratione, Cap. XXIII, secutus est, semel tantum usus simplici nomine *Jehova*. v. p. 12 sqq.

Populus et *Israël* et *Filii Israël* vocatur. Illud habes XIII: 6, 13, 14. XXI: 41. XXIII: 1, 2. hoc XIII: 6, 13. v. p. 17, 18.

Rerum gerundarum cura soli Josuae tribuitur. v. p. 19.

Pro formula בעבר הירדן, quae ceteroquin legitur XIII: 8. XXII: 4, Kethib semel habet בעבר הירדן c. 7, pro qua lectione Keri melius בעבר.

בעבר Melius inquam. In tabulis enim topographicis, post hac inspiciendis, semper scriptum est, מעבר לירדן. Quae diversitas ad notas pertinet illius monumenti, ut ita dicam, diacriticas. Jam, quod paullo ante de ממה observatum est, quum Caput XXII tabulas istas proxime sequatur, equidem suspicor, imperitum librarium, cui illae adhuc animo obversarentur, literam ב mutasse in מ, incogitanter satis ה immutatam relinquens. Sed quidni etiam c. 4 mutavit? Palam fateor me hoc nescire. Fortasse non attendit; sic enim solet leve istud hominum genus. Quidquid huius rei sit, mutationi saltem levitatis et imprudentiae nota inusta est. Id etiam certum est, Codices Mss. illo in loco varietatem lectionis non praestare, ad nostrum vero nonnullos et Kennicott. et Ross. habere ב, eandem Biblia Brix. 1494, Complutensia et Veneta 1518, ad marginem. Denique Versiones antiquae, Graeca, Syriaca, Arabica, Chaldaica omnes secutae sunt hanc lectionem. Nam quum formulam, quae in topographicis adest tabulis interpretentur מן גיזת ארט, עברא דירדן, מעברא לירדנא, από τοῦ πέρας τοῦ Ἰορδάνου, contra nostram vertunt: ἐν τῷ πέρας τ. 1, בעברא דירדון, في جيزة ارس, دیردون.

Sed quoque integrae phrases quae in primo occurrunt, in nostro reperiuntur monumento. Conf. I: 6. V: 6 et XXI: 41.

הארץ אשר נשבע יהוה לאבותם לתת
הארץ אשר נשבע יהוה לתת לאבותם

Prima C. XXII verba, sicut ipsum narrationis argumentum respondet C. I: 12 sqq. Josua

Trans-

Trans-Jordaniticos monuerat, ut fratribus auxiliarentur. Itaque sese dicto obedientes praestiterant. Quos, totâ expeditione confectâ, in nostro capite convocat, debitisque cum laudibus in ipsorum dimittit regionem.

Sic. I: 12. ולראובני ולגדי ולחצי שבט המנשה
אמר יהושע לאמר

XXII: 12. אז יקרא יהושע לראובני ולגדי
ולחצי מטה (שבט) מנשה ויאמר אלהים

Cap. I: 13 iussum iis in memoriam revocaverat a Mose Jehovae ministro ipsis datum. Itaque XXII: 2 «vos, inquit, omnia observastis, quae Moses minister Jehovae vobis mandaverat.»

Cap. I: 14 dixerat ועזרתם את אחיכם; XXIII: 3 ער אשר לא עזבתם את אחיכם נכם ועתה הניח. XXIII: 4 יהוה אלהיכם לאחיהם כנחם. De quiete ista quoque XXI: 42 וינח יהוה להם. XXIII: 1 אחרי אשר הניח לישראל. Porro quae leguntur XXIII: 3 כי יהוה אלהיכם הוא הנלחם לכם, eadem habes X: 42. C. I: 4 Deus Palaestinae terminum esse dixerat הים הגדול מבוא השמש, eundem vides XXIII: 4. Conf. denique I: 7, 8 et XXIII: 6; eadem fere verba utroque in loco occurrunt.

SECTIO POSTERIOR.

De dictione huic monumento propria, dictioni autem primi ac caeterorum monumentorum contraria.

Convenientiae signa bene multa sane esse videntur. Sed tamen diversa alia sunt, sicut initio huius capitis diximus, quibus persuasum mihi redditum est, fragmenta haec auctorem habere alium, quam qui capita XII prima conscripsit. Illa nunc igitur indicabimus.

Verbum **כבר** saepius cum **ל** quam cum **אל** construitur, Illud fit XIII: 14. XXII: 4. XXIII: 5, hoc XXI: 43. XXIII: 15. In primo monumento, quod nostrum magnitudine longe superat **ל** semel tantum legebatur. v. p. 3, 4.

De terra in haereditatem tradenda insolitus usus est atque constructio verbi **נפל**. Cap. XIII: 6 **הפלה לישראל בנחלה**. Haec Deus. Quibus vix dubium est, quin respondeat Josua, XXIII: 4, **ראו הפלתי לכם את הגוים בנחלה**, XXII: 3. **משמרת מצות**, insolitum est.

Terra possessionis vestrae. **ארץ אחותכם**, XXII: 4 pro **ירשתכם**, quod in primo adfuit. v. p. 4. De illo autem vocabulo observandum est, in urbium Leviticarum catalogo, Cap. XXI: 1—41, semel occurrere, colo 12. Quem non tamen eam ob caussam ad nostri auctorem referendum putavi. Etenim multo plura indicia exhibet, ex quibus effi-

efficiatur, cum ab auctore tabularum topographi-
carum ad diversas tribuum possessiones pertinen-
tium, compositum esse. Quod autem vox ista
quoque infra legatur, XXII: 9, ea de re suo loco
dicendum erit.

עשה, *obtemperandi* notione cum Accusativo
construitur, XXII: 5. XXIII: 6. Aliter I: 7
v. supra. p. 4.

המצוה, XXII: 5, ignotum primo monumento
vocabulum; sic etiam phrases: אהבה את יהוה,
et לדבקה בו ולעבדו בכל לבבכם וכל נפשכם
quae leguntur: XXII: 5. XXIII: 11, Coll.
12. Ultima vocabula scriptori valde propria es-
se, inde sequitur, quod quoque Cap. XXIII: 14
in alia phrasi inveniantur.

ויברכם, XXII: 6, 7. In primis Capp. hoc vel
simile quid de Josua non proditum est. Quod
fieri potuerat e, g. in fine Capitis I et II.

XXII: 7 וגם כי שלחם. Insolitus usus pleo-
nasticus Particulae כי.

מפני, XXI: 42. XXIII: 1. in primo non adfuit.

קרא solum cum ל construitur. XXII: 1. XXIII:
2. Quae constructio in primis capp. semel tan-
tum adfuerat; constructio vero cum praepositione
אל ter adfuit: v. p. 45.

Incolae Canaënis vocantur גוים XXIII: 3,
4, 7, 9. Quae res infra usui erit.

הרף, XXIII: 5, insolitum verbum.

ארמה de *Canaëne*, XXIII: 13, 15; in primis
Capp. semper ארץ, quod tamen etiam nostro in
usu est.

דבר cum על construitur, XXIII: 14. aliter
supra. v. p. 3, 4. De-

Denique Israël nunquam vocabulis נוי aut עם designatur. Quod in primo saepius. v. p. 42.

Ad grammaticas formas quod attinet, secunda persona singularis masculina Praeteriti semel habet in fine additam ה, XIII: 1 וקנתה. Non saepius in hoc occurrit monumento.

Semel articulus nomini appellativo praefigitur, cuius significatio indefinita est. XIII: 1 והארץ נשארה הרבה מאד לרשתה. v. s. p. 9.

Semel accidit ut, Genitivis dnobus sese invicem sequentibus, articulus utrique praefigatur, XIII: 7: וחצי השבט המנשה. Qui locus eo dignior memoratu est, quia in primo monumento eorundem horum vocabulorum, coniunctim positorum, solummodo ultimum articulum habuerit. Utrique oppositum habes, XXII: 1 ולהצי מטה מנשה. plane deficiente articulo. Solitam formam habes XXII: 2. v. s. p. 8.

Pronomen personale, pro verbo substantivo positum, numero impar est substantivo, quocum coniunctum est. XIII: 14 אשי יהוה—הוא נחלתו. v. s. p. 12.

Infinitivi feminina forma addita ה (37) legitur XXII: 5. XXIII: 11 לאהבה—ולדבקה.

Inficias ire nequeo, haec exempla, e singulis monumenti nostri petita fragmentis, parum facere, ad ostendendum ea in dictione secum invicem convenire. Insolitis quidem, quas notavimus, illis formis Grammaticis, a primo monumento discernuntur; neque haec tamen praeterea quicquam

va-

(37) De qua v. Gesen. l. l. § 91. not. a. p. 304.

valent. In quibus vero regulis observandis, quum ab auctore praecedentium capitum neglectae sint, noster constanter sibi consentaneus sit, nunc declarabo.

Accusativi nota non omittitur ante praefixum articulum v. XIII: 7, 13. XXII: 5. XXIII: 4. Etiam nota expressa est, ubi aut ob affixum Pronomen erat exprimenda; v. XXII: 3. XXIII: 5; aut ob Genitivum. v. XXIII: 6, 15, 16. v. supra p. 5, 6, 7.

Articulus etiam semper genitivo adhibetur, si huius ac regentis nominis significatio certa ac definita est. v. XIII: 2, 4, 5, 7, 8, 9, 11, 12, 14. XXI: 41, 43. XXII: 4. XXIII: 3, 4, 14. Relativi accusativus autem utique sine nota **את** et affixo Pronomine scribitur. v. XIII: 8. XXII: 2, 4. XXIII: 3, 4, 13, 14, 15, 16. In genere nulla est discrepantia.

Deinde integrae phrasae, quae in altero huius monumenti exstant fragmento, etiam in altero reperiuntur.

Cap. XIII: 1 Scriptor dicit: ויהושע זקן בא בימים
 — XXIII: 1 — — ויהושע זקן בא בימים
 — XXII: 1 Deus Josuae אתה זקנת באת בימים
 — XXIII: 2 Josua אני זקנתי באתי בימים
 — XIII: 6 Deus רק הפלת לישראל בנחלה
 — XXIII: 4 Josua ראו הפלתי לכם את הגוים
 בנחלה

Loca Capitis XXIII. colorem quoque trahere videntur ex Cap. XIII: 7 ועתה חלק את הארץ
 הזאת בנחלה לתשעת השבטים.

Fragmenta tam parva vix, credo, convenientiae speciem adeo magnam praeberent, nisi ab eodem

orta essent scriptore. Iam vero Cap. XXIII, quod tantopere convenit cum Cap. XIII, haec c. 14, communia habet cum Cap. XXI: 43.

לא נפל דבר אחד מכל הדברים הטובים
 לא נפל דבר מכל הדבר הטוב
 אשר דרכ יהוה עליכם הכל באו
 אשר דבר יהוה אל בית ישראל הכל בא

Varietas levis est. In oculos sola incurrit diversa constructio verbi דבר, supra notata. Neque vero propterea duo auctores hic sumi debent. Nisi etiam colis 41 et 43 capitis XXI duos tribuas, quia נתן duplici construatur ratione. Sic igitur Cap. XXIII ea habet, quae habet XIII, Cap. XXI quae XXIII, dum Cap. XXII, in mediis his positum, utriusque vultum refert. Quae res eam ob causam magis attendenda est, quod Josuae alia occasione eadem verba tribuantur.

Sed de his satis dictum esto. Notandum adhuc est, Caput XXIII unam et alteram praebere peculiarem phrasin; quod in illo, reliquis fragmentis multo maiori, nemo, opinor, mirabitur.

Haec nunc hactenus.

Ad nomina propria quod attinet, patronymicum Josuae nomen in hoc monumento non invenitur. v. XIII: 1. XXII: 1, 7. XXIII: 1.

Moses semel minister Dei dicitur XIII: 8. Qui titulus in simplici narratione, neque saepius usurpatus, non convenit primo monumento.

Israël insolito nomine vocatur בית ישראל XXI: 43.

Lex Mosaica, ספר תורת משה, XXIII: 6.

Ipsam si spectas historiam, Cap. XIII: 3, quinque

que memorantur principes Philistaeorum, cum XI: 22 trium mentio fuisset.

Josua Trans-Jordaniticis praecipit ut in tentoria sua revertantur, XXII: 4, 7. De tentoriis I: 15 nihil. Quae diversitas eo maioris esse videtur, quia illo in loco ceteroquin aperte ad primum caput respicitur.

Negotia publica a Josua solo administrantur, quod iam monuimus. Magistratus tamen, qui concioni aderant, titulis aliis quam in primo monumento insigniuntur, Cap. XXIII: 2 וְקִנֵּי יִשְׂרָאֵל וְרֹאשֵׁי וְשֹׁפְטֵי וְשֹׁמְרֵי. Nam antea de senioribus sermo fuit; de principibus ac iudicibus non item.

En vides, quatenam me eo adduxerint, ut has disiectas partes uni peculiari scriptori, a primi monumenti auctore diverso, tribuerem.

CAPUT TERTIUM.

DE CAPITE XIII: 15—XIV: 5. XV: 1—12.

C. 20—XXI: 40. SIVE DE TERTIO

HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Quid causae sit, cur Caput XIII in duo, ut ita dicam, membra dissecaverim, quae a diversis auctoribus conscripta censeam, id ante omnia explicandum videtur. Nempe colo 8 Deum verbis finem facere arbitror. Neque enim alium facile locum ostendes, ubi scriptor loqui ipse incipiat, nec verosimile est, totam Trans-Jordaniticae regionis descriptionem, quae per universum continuatur caput, Deo loquenti esse adscribendam. Itaque scriptor quum c. 8; in cuius initio supplenda esse verba, וחצי השבט המנשה, Houbigantius cl. Muntinghio probaverat, uti ex huius schedulis manu scriptis ad hunc locum pertinentibus mihi innotuit; quum igitur eo in loco de Trans-Jordanitarum tribuum ditione loqui coepisset, non alienum a consilio hominis videri possit, ut illam breviter indicatam deinde pluribus explanaret. Quam in re alterum huius capitis membrum versatur, quod in tertium hoc monumentum traduximus. Illud autem ab eodem scriptum esse auctore, cui alterum debetur, ideo probabilius cui fortasse videatur, quia ultimo capitis colo idem fere de Levitica tribu repetatur effatum, quod in fine prioris membri, colo 14, adfuerat. Sed primum quidem, id,

quod

quod sane maximum est, habet huius fragmenti stilus haud pauca priva et propria, quae a scriptoris, qui priorem partem composuit, dicendi genere plane abhorrent. Quod si verum est; infra autem demonstrare conabor; lector fortasse mecum suspicabitur, eum, qui omnibus, antea dispersis, universi libri monumentis, colligendis ultimam manum imposuerit, colon 33 ex colo 14, nonnullis, ut fit, parumper immutatis, interpolasse, non quidem fraudis consilio aut malo dolo, sed quo melius disiectas coaptaret particulas habitumque earum reliquis aptius conformaret. Deest certe colon 33 in Graeco exemplo Vaticano. Si ea quoque spectantur, quibus a colo 14 diversum est, in primis insueta vocabuli **מש** cum plurali constructio notanda videtur, tam a primi monumenti et secundi, quam a nostri ratione, aliena. Haec non attendit Meyer, vir doctissimus, cum in illa repetitione eiusdem fere effecti nihil inopinati inesse statueret (38). Accedit quod forma catalogi, sive topographicarum tabularum, quae in posteriori capitis XIII parte exhibentur, eundem haud dubie prodant auctorem, qui reliquas in sequentibus capitibus obvias tabulas composuerit. Quae res in priori huius capitis sectione in luce collocanda videtur; posterior vero in eo versabitur, ut solito more dictionis aequabilitas, et a reliquis monumentis diversitas, exponatur. Denique si quid ex totius monumenti argumento petitur ad nostram sententiam col-

lu-

(38) l. l. p. 358.

Iustrandam conferat
dum.

SECT

De forma

topo

Tabulae quo modo
apparet.

Non dubito quin
oculos convenientia,
est, fateor, eaque non
frequens est, generi
bulae tot sibi habent
non dissimilis reliqu
ob aliquam diversi
auctori videatur, vix
exstitisse auctores, q
picari debeas.

Haec de externa e
idem valet. In Ru
c. 16 terminus, u
quousque pergat, no
enumerata urbe, sita
nem ventum est, auc
אשר במישור, ad u
urbibus, c. 20, ad
quos Moses profliga
lâ aliâ legitur tabulâ
cae ditionis descriptio

ferat, illud insuper erit declaran-

LECTIO PRIOR.

*forma ac habitu tabularum
topographicarum.*

o modo incipiant ex addito exemplo

quin permagna omnium incurrat in
cientia. Varietas quaedam conspicua
aque non praetermittenda. Sed tam
generis tam diversi, et singulae ta-
habeant peculiaria, ut nulla tabula
reliquarum sit, ac, si quidem una
diversitatem reliquarum deneganda
ur, vix duas uni tribuere queas, tot
ores, quot tabulae inveniantur, sus-

terna earum conditione. De interna
In Rubenitarum tabula Cap. XIII,
nus, unde ditio oriatur, traditur,
at, non traditur. Tum una et altera
e, sita in finibus, cum ad Hebro-
st, auctor, c. 17, verbis וכל עריה
ad urbes transit percensendas, ab
o, ad principes Midianiticos viros,
offligarat. Cui simile quid in nul-
tabula. Quacum si conferas Judai-
criptionem, XV: 1—12, huius a-
li-

Cap. XIII: 15, 16	בני ראובן	למשפחתם ויהי להם הגבול	גה
— — 24, 25	גד לבני גד	— — — — —	גה
— — 29, 30	בני מנשה	גבולם	גה
XV: 1, 2	יהודה	גבול	גה
XVI: 1, 5	לבני אפרים	נחלתם	
XVII: 1	מנשה	מנשה	
XVIII: 11, 12	בני בנימין	הגבול	גה
XIX: 1, 2	בני שמעון	כנחלתם	גה
— — 10	לבני זבולן	גבול כנחלתם	
— — 17, 18	יששכר	גבולם	
— — 24, 25	בני אשר	— — — — —	
— — 32, 33	לבני נפתלי	— — — — —	
— — 40, 41	— — — — —	— — — — —	

(Ad pag. 68.)

בני ראוב	למטה	ויתן משה	}
גד לבני גד	---	---	
בני מנש	מטה	להצני שבט מנשה ויהי להצני	}
יהוה	למטה	הגורל	
לבני אפר	---	הגורל בני יוסף - גבול	}
מני	---	---	
בני בני	מטה	גורל	}
בני שמ	לשמעון למטה	הגורל השני	
לבני זבוי	---	השלישי	}
ישש	---	הרביעי	
בני איש	---	החמישי	}
לבני נפח	---	הששי	
		השביעי	}

ליששכר
לבני נפתלי
למטה בני דן למשפחתם



liam utiq̄ue cernis esse rationem. Terminus meridionalis, occidentalis, orientalis, conceptis verbis ac separatim indicantur, colis 2, 5, 12, pluribusque verbis, quo quisque tendat terminus, significatur. Ob quam tamen diversitatem, vel potius discrepantiam, si quis hanc tabulam alii quam illam adiudicare velit auctori, is, quaeso, cum Rubeniticâ tabulâ Gaditicam conferat, XIII: 24-27, quae utraque certissime ad unum pertinet monumentum. Termini pluribus, urbes paucis significantur verbis: contrariâ omnino ratione. In Manassis catalogo, XIII: 30, 31. iterum termini pluribus, urbes brevibus. Tabulae autem, quae nepotum Josephi sunt, ambae multa habent in quibus cum Judaica conveniunt, praesertim in accuratiori finium descriptione: יצא XV: 3. XVI: 2. עבר XV: 4. XVI: 2. נסב XV: 10. XVI: 6. ירד XV: 10. XVI: 7. XVII: 9. Sed simul habent, quae discrepant. e. g. verba הלך XVI: 8. XVII: 7. פגע XVI: 7. XVII: 10, aliis deficientibus ex Cap. XV, תאר, עלה. Ipsae vero Manassis atque Ephraimi tabulae, in verbis istis similiores, etsi neque in his etiam plane similes, rebus differunt. Ephraimi tabula, cuius prima cola sine dubia turbata sunt, sed accuratioris notitiae geographicae defectu vix in integrum restituenda, illa igitur solos indicat terminos, non facta urbium diserta commemoratione. Manassis vero tabula urbes nonnullas in fine adiiicit. Attamen nihilominus certissimum est, hunc utrumque catalogum unius manus esse; quod patet ex inscriptione, quae in fronte legitur. Conf. XVI: 1. coll. 4, 5, XVII: 1. Itaque quum has

in-

inter eadem diversitas obtineat, quae inter Trans-Jordaniticorum tabulas, nonne hinc merito argumentum ducatur, pro communi origine omnium?

Ad reliquas autem septem accedimus tabulas, quae exstant Cap. XVIII: 11—XIX: 48. Quae quum sese iusto ordine invicem excipiant, atque una occasione simul omnes Josuae iussu factae sint; id quod ex primis Capitis XVIII colis accepimus; hinc verosimillima fieri videtur sententia, unum earum fuisse auctorem.

De cuius sententiae veritate, singulis diligentius inspectis, minus etiam dubitamus, quin in aliam quoque facile nos induci patimur, harum tabularum auctorem eundem esse, qui priores composuit tabulas. Beniaminitica enim Judaicae tabulae simillima est. Termini accurate commemorantur verbis עלה c. 12, עבר c. 13, ירד c. 13, תאר c. 14, נסב c. 14, יצא c. 15. Itaque quae capitibus XVI et XVII propria erant verba, illa duo desiderantur, sed tamen cum illis Beniaminitica hoc rursus commune habet, quod in fine urbes addantur. Tribus Judaicae urbes minime quidem fuerunt neglectae, sed remotiore tantum in loco positae, post insertam, de haereditate Calebis, narrationem, XV: 13—19. Quae si ab aliena manu profecta et interpolata est; quod quidem nobis videtur, et infra probandum est; Judaica et Beniaminitica tabulae, hac etiam ex parte, satis sunt similes. Etenim interpolatorem colon 20 loco suo, qui erat ante c. 63, amovisse suspicor, eo autem consilio praemisisse catalogo, ut huic, post istam de Calebe historiam, aptam formam

mam conciliaret. Quod si verum est, vide annon illae duae formulae satis bene conveniant.

XV:	12	זה גבול בני יהודה
XVIII:	20	זאת נחלת — בנימין לגבולתיה
XV:	12, 21	מביב למשפחתם ויהיו הערים למטה
XVIII:	20, 21	והיו
XV:	21	בני יהודה
XVIII:	21	— בנימין למשפחתיהם

Interpolator capitis XV ultimum למשפחותם, quod fortasse in textu erat, omittendum censuit, quia ipse illud iam c. 20 attulerat. Si autem c. 20 in finem transfers, uterque catalogus, hac quoque in re, similis erit. Caeterum monendum est, Bertholdtum, Vatero assentientem (39), putare, urbium catalogum C. XV ab alio, quam ab auctore caeterarum tabularum, conscriptum esse (40). Cum utroque Wettius facit (41).

Reliquarum tribuum topographicae descriptiones, quae Capite XIX leguntur, eodem ac praecedentes modo a se invicem differunt. Simeonis nihil fere est nisi urbium enumeratio, ita ut Catalogis Capitis XIII similior sit, quam Capitem XV, XVI, XVII, XVIII. Zebulonica fines urbesque complectitur. Habes denuo illa, יצא, עבר, עלה, נסב, sed etiam illud פגע c. 11, ex Capp. XVI et XVII. Urbes enumeraturus omittit formulam Iudaici et Beniaminitici catalogi. Issascharis tabula solas paene urbes exhibet, verbu-

(39) Commentar über den Pentateuch T. III. p. 110. in not.

(40) v. l. I. § 223. p. 850. § 224. p. 855.

(41) l. l. § 168.

bulo terminos attin-
miscet atque termino-
li, postquam finium
bes, his verbis, 732
nis catalogus nihil f

Quae cum ita sim-
opinione, nisi singu-
auctores, omnibus u-
nim, quod diximus
sunt, sed omnes quo-
unam nobis quasi i-
conspiciendam. Secu-
a prima traxit, tertia
cedat, quarta rursus
tia faciunt, a secunda
simul cum illis sexta

Denique formulam
mutatione, desinunt
deatur exemplum.

Verbo tamen de
go animadvertendum
eum, quum non nis-
quam caeteros esse
bac in re, quasi t
XXI: 4. צא הגורל
lum למשפחותם,
altera sectione plura

Bertholdtus Cap. X
tori, omissis nonni
20—63. Caput XX
monumentum: item

attingens. Aseri vero urbes per-
 terminos, insolitâ ratione. Naphtha-
 inium descriptio data est, addit ur-
 , **וערי מבצר** c. 35. Denique Da-
 nihil fere aliud nisi urbes continet.
 ta sint, in ea persistendum puto
 singulis tabulis singulos attribuas
 bus unum esse attribuendum. Ete-
 ximus, omnes inter se dissimiles
 es quoque ac singulas si conferimus,
 quasi indolem ac formam praebent
 Secunda, ut ita dicam, colorem
 , tertia a secunda, cum a prima re-
 rursus et quinta cum prima et ter-
 secunda dissentiunt, quacum atque
 s sexta convenit.

mulam addamus, quâ, levi cum
 sinunt omnes. Additum rursus vi-
 um.

en de urbium Leviticarum catalo-
 endum est, non mirandum videri,
 on nisi urbes exhibeat, alio modo
 esse comparatum, dum formulae,
 uasi technicae eadem sint, e. g.
וְיָצָא הַ conf. XV: 1 etc. vocabu-
מִלְ, alia. Hac vero de tabula in
 plura erunt dicenda.

Cap. XIV—XIX uni adiudicat auc-
 nonnullis particulis, e. g. XV:
 t XX huic viro singulare videtur
 item XXI Caput II (42).

SEC-

Cap. XIII:	23	למשפחתם	הירדן וגבול	זאת נחלת בני ראובן
—	27, 28	—	גד	—
—	31,	—	מכיר	—
XV:	11, 12	—	יהודה	זה גבול
XVI:	8	—	אפרים	זאת נחלת מטה
XVII:	9	—	—	—
XVIII:	19, 21	בנימין לגבולתיה	—	—
XIX:	8	—	שמעון	—
—	15	—	זבולון	—
—	22, 23	—	יששכר	—
—	31	—	אשר	—
—	33	—	נפתלי	—
—	48	—	דן	—

Quinque ultimis tabulis etiam semper adiicitur haec form

(Ad pag. 72.)

ויהי גבול בני ראובן הירדן וגבול זה
— — — Gr. et Vulg. supplent.

והיו תצאות הגבול ימה וגבול ים הימה הגבול וגבול זה גבול	—	תצאותיו	הימה	ויהי היים גבולו	והירדן גבול אותו
זאת נחלת מט	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—

— תצאות גבולם הירדן

icitur haec formula

והצריהם tum הערים האלה aut הערים



SECTIO POSTERIOR.

De communi huius monumenti origine, ex dictione et ex argumento probatá.

§ 1.

Ex dictione.

Nostri monumenti dictio haud pauca habet, quibus et secum convenit ipsum, et a reliquorum dictione tam diversum est, ut hinc etiam magna cum specie veritatis effici posse videatur, unam eius esse originem et a reliquis distinctam.

Primum quidem de vocabulis מטה et שבט dicendum est. De quibus Cap. I. Sect. I. § 1 animadvertimus, illud bis in monumento primo exstare, iisque locis, in quae ex tabulis allata videantur genealogicis publicis. Quae sententia tabularum topographicarum collatione publicarum, quas tractamus, egregie confirmatur, quippe in quibus שבט bis tantum legatur. XIII: 29 et XXI: 16. In reliquis semper מטה XXIII: 15, 24, 29. XV: 1, 20, 21. XVI: 8. XVII: 1. XVIII: 11, 21. XIX: 1, 8, 23, 24, 31, 39, 40, 48, 51. XXI: 4, 5, 6, 7, 9, 17, 20, 23, 25, 28, 30, 32, 34, 36. Neque tamen ideo suspicandum esset, alium harum auctorem fuisse tabularum, nisi in historicis etiam locis, quae cum tabulis arctissime conin-

ctae-

etae sunt, ambo illa vocabula promiscue usurparentur, adeoque eorum ratio a praecedentibus longe recederet. Quin etiam **מטה** multo saepius quam **שבט** scriptum cernis. Conf. XIV: 1, 2, 3. XIX: 51. XX: 7. XXI: 1 in quibus **מטה**; XVIII: 4, 7 in quibus **שבט** legitur. Quod cum in uno tantum occurrat fragmento, non tamen suspicionem movere debet, hoc ab alio rursus auctore scriptum esse. Nam praeterquam quod dictio eius etiam aliud signum, mox proferendum, praebeat, unde merito concludatur, eundem esse huius et caeterorum nostri monumenti fragmentorum scriptorem, locus insuper ubi illud fragmentum invenitur omne dubium procul removet. Illis enim collis continetur, quibus Josua viros emisisse dicitur, qui residuam ac nondum in provinciam reductam describerent regionem, atque inter tribus dividerent.

דבר, aliter quam utroque praecedenti in monumento ante ipsa verba, quae ab aliquo dicuntur, positum est, Cap. XVII: 14. XX: 1, 2. XXI: 2. Insolentius quoque cum accusativo construitur, XVII: 14. — **וידברו את יהושע**. Pro **את** tamen multi Codd. Kennicott, et Ross. substituant **אל**. Qua cum praepositione duobus aliis in locis construitur. Etiam hoc est peculiare quid, **אמר** semel tantum pleonastice, quod in primis locum habebat monumentis, vid. p. 3, usurpari, XVII: 17, sequentē **לאמר**, quae formula praeterea adest XVII: 4, 14. XX: 1, 2. XXI: 2, tribus his in locis pleonastice. Caeterum **אמר** legitur XVII: 15, 16, 17. XVIII: 3. Constructio cum **ל**

non in usu esse videtur auctori. Pro illa semper habet אל. Aliter in primo, aliter in secundo monumento. Vid. p. 3, 60.

Cum in hoc monumento frequentissima sit notio *haereditatis*, *haereditatem consequendi*, *haerodem faciundi*, *possessionis*, *possidendi*, *in possessionem dandi*, verbum ירש, quod in primo aderat, bis quidem I: 11. XII: 1, obvium est XVIII: 3. XIX: 47 (43). sed נחלה, quod semel in primo, hic uti ipsum נחל saepius. XIV: 1, 2, 3. XV: 20. XVI: 4, 5, 8, 9. XVII: 4, 6, 14. XVIII: 2, 4, 7, 20, 27. XIX: 1, 2, 9, 10, 16, 23, 31, 39, 41, 48, 49, 51. XXI: 3. ירשה porro, quod in primo aderat, hic non habetur. Has denique novas noster huic notioni voces adhibet. חלק et חלק. XIV: 4, 5. XVII: 2. XVIII: 5, 6, 7, 9. XIX: 9. חבל XVII: 5, 14. XIX: 9, 29. גורל XVII: 14, 17. XXI: 20, 38. אחזה XXI: 12, 39. De חלק autem et גורל observandum est eas primariâ quidem significatione, quae est cum *dividendi*, tum *sortis*, a nostro usurpari. Sed tamen in locis laudatis commode iis substitui potuerat ירשה aut נחלה. Quapropter vere dici queat, eas loco harum vocum scriptas esse. Saepe quoque phrasis in usu est נתן נחלה, uti ex laudatis apparet exemplis, quum antea nunquam usurpata fuisset. Notioni vero *in haereditatem dandi*, quum primo in monumento נחל in Hiphil abhbitum fuisset, in nostro semper in Pihel ponitur. Vid. XIII: 32, XIV:

(43) Forma Hiphil notione *expellendi* hîc saepius. Sed de hac non agitur.

XIV: 1. XIX: 51. Ad haec vid. supra p. 4.
 Verbum צוה praeter morem solitum, conf.
 Cap. XIV: 5. XVII: 4. XVIII: 8 etiam in-
 solentius construitur XIV: 2. צוה יהוה ביד משה
 לתשעת המטות. Cap. XXI: 8, redit ביד,
 qua cum Praepositione דבר quoque constructum
 vidimus. Etiam Cap. XVII: 4 pro Accusativo
 habent ביד Kennicotti et Rossii codices mul-
 ti, Bibl. Sonc. Brix. Proph. Soncin. 1486,
 Alexandrini interpretes, Vulgatus, Targum. Quae
 lectio inde maiorem vim accipere videtur, quod
 conveniat cum consueta dictione scriptoris. Lec-
 tio vero, XIV: 2 לתשעת non omni dubio
 maior est dicenda, nonnullis codicibus atque edi-
 tionibus, Syro, Chaldaeoque inserentibus לתת,
 probante Capello, reiiciente Buxtorfio, Rossio,
 probet repudietve, incerto. Quod Syrus cum Chal-
 daeo et codicibus facit, non parvi aestimandum
 est. Facilior tamen erit lectio si לתת inseratur,
 adeoque minus bona.

Pro צוה aut דבר, de mandato divino ter usur-
 patur פי, uno in loco cum אל, duobus cum על.
 XVII: 4 ויתן להם אל פי יהוה 4. XIX: 51, על פי
 יהוה נתנו לו את העיר. Conf. XXI: 3. Primi et
 secundi monumenti auctores dixissent: כאשר צוה,
 aut כאשר דבר. Ad quae aliquis recte dicat, duobus
 in locis et hic et C. XVII proxime praecessis-
 se צוה; quapropter tautologiae evitandae causa
 scriptum videri possit. Quam profecto mihi e-
 tiam arridere fateor opinionem. Neque tamen usus
 illius phraseos non ad diacriticas huius monumenti
 notas pertinet. Etenim primi certe monumenti

auctor non veritus est saepius repetere verbum צוה. Conf. loca supra laudata, p. 3. quibus etiam addatur Cap. I: 18. De secundo monumento eadem valet observatio. Vid. p. 56.

Ubi quid *medio in populo* accidisse refertur, bis tantum קרב usurpatur, XVI: 10. XVIII: 7. Saepius תוך, XIV: 3. XVI: 9. XVII: 4, 6, 9. XIX: 1, 9, 49. XX: 9. XXI: 39. Contrarium in primo obtinuit monumento. Vid. p. 3.

נתן cum ל construitur, XIII: 15, 24, 29. XIV: 3, 4. XVII: 4, 14. XVIII: 3, 7. XIX: 49, 50. XX: 1, 4. XXI: 2, 3, 8, 11, 12, 13. similiter ac in primo et secundo monumento. Sed infra haec res usui erit.

קרב cum לפני XVII: 4, aliter in primo. Vid. p. 4.

כתב cum על XVIII: 9, aliter antea. Vid. p. 3, 56.

קרא *locum aliquo nomine appellandi* significatione, ל secum habet XIX: 47, aliter ac in primo. Vid. p. 5.

Formas inter Grammaticas quibus nostrum a reliquis discernitur monumentis, primum quidem usus literae ל obtinet, quae cum in primo monumento ad Genitivum indicandum iis solum scriberetur in locis, ubi aut temporis aut locorum erat significatio, in nostro universe Genitivi notioni indicandae adhibetur. V. c. XIV: וראשם. Conf. XIX: 51. XXI: 1. XV: 1. XVI: 1. XVIII: 1. Tribus ultimis in locis Lamed notam Dativi non esse, certissime ex collatione XVIII: 11 apparet, ubi ויעל גורל. Hic enim מטה, nemine dubitante, in Genitivo positum est. Vid. s. p. 10, 56.

Ad-

Adiectivum et Pronomen, adiuncta substantivo, articulum non recipiunt, etsi ob substantivi rationem recipiendus fuisset, XXI: 10 הַגּוֹרֵל, ראשנה. Semel receperunt, ubi ob substantivi rationem non erat recipiendus XVII: 9 עֵרִים הָאֵלֶּה. Sunt autem duae hae exceptiones unius quasi generis. Vid. s. p. 11, 56, 57.

Bis tantum, quod in primo saepius obtinuit monumento, in secundo plane non obtinuit; vid. p. 56; accusativi nota deficit, quae ob affixum Pronomen, erat praemittenda, XVIII: 7 לַקְחוּ נַחֲלָתָם conf. XXI: 2. Praemittitur אֵת XVIII: 2. XX: 4, 5.

Semel, quod bis in primo, nunquam in secundo factum est; vid. p. 62; accusativus relativi addito Pronomine affixo cum nota אֵת exprimitur. XXI: 9. Solitam formam sequitur XVIII: 1. XVIII: 3, 7. XIX: 50. XX: 2.

Affigitur secundae singularis personae masculinae litera XVII: 14 נַתְתָּה, quae forma semel quoque affuit in secundo monumento. Vid. p. 62.

Cap. XV: 63 accusativum absolutum habes; Graecum, si malis, dicas; pro nominativo absoluto, qui in primis monumentis obtinuit. וְאֵת הַיְבוּסִי לֹא יָכֹלוּ בְנֵי יְהוּדָה לְהוֹרִישׁוֹ.

Genus nonnumquam negligitur. XIII: 28 הָעֵרִים וְחֻצְרֵיהֶם. Conf. XV: 4. XVII: 4. XXI: 2. Primi exempli lectio non quidem omni dubio superior est, nonnullis codicibus Kennicott. et Ross. genus femininum tuentibus. Sed cum plures occurrant similes a regulis Grammaticis exceptiones, verosimilius esse videtur, scriptorem etiam illo in loco inde abiisse. Vid. supra p. 11.

Sequentia vero ostendunt, ubi noster Grammaticam normam secutus fuerit, quam primum monumentum non erat secutum.

Nota accusativi non omittitur, ubi articulus accusativo praefixus est. XIV: 5. XVII: 12. XVIII: 3, 6, 8, 10. XIX: 49, 50. XX: 5. XXI: 3, 8, 9, neque etiam, ubi ob genitivum praemittenda erat. XIII: 21. XVIII: 1. XX: 2. XXI: 12. Genitivis definitae notionis omnibus praefigitur articulus. XIII: 16, 19, 20, 21, 24, 31, 33. XIV: 2, 3. XV: 2, 4, 8, 9, 11, 62. XVI: 1, 39. XVII: 1, 5, 6, 15, 16. XVIII: 7, 16, 18, 19. XIX: 8. XX: 2, 3, 4, 5, 6, 9. Non vero praefigitur, si Genitivus affixo Pronomine auctus est. XIII: 17. XIV: 2. XV: 8. XVI: 3, 5, 8. XVII: 3, 4, 6, 9, 10, 11, 16, 18. XVIII: 2, 3, 4, 5, 7, 10, 11, 12, 14, 19, 20, 21, 28. XIX: 1 sqq. (44). Accusativi ante verbum positi exemplum non est. Post Passivum non scribitur **𐤒**. Neque **𐤒** pro Pronomine demonstrativo posita est, aut **𐤒** Arabica in fine, aut **𐤒** pro **𐤓** affixo, aut **𐤒** secundae inserta Praeteriti. Nun Paragogica, semel absque causa verbo affixa est. XVII: 10. Ad haec vid. p. 5.

A secundo nostrum ita diversum est, ut exceptâ unâ iam commemoratâ praeteriti formâ, nihil habeat, quod ei privum videatur.

Sed ad alia genera dictionis veniamus.

Semel atque iterum in primo monumento; vid. p. 13; in secundo omnino non accidit, ut Summum Numen

(44) Contrarium semel factum in primo VII: 21. Quod loco suo omissum hic addendum videbatur.

men a scriptore non eo magnifico titulo appellaretur, quo videretur insigniendus. Quod in tam multiplici Numinis mentione vix mirandum. Nostrum vero, cum quater occasio esset Dei magnificentius commemorandi, semel tantum ea usum esse, hoc sane alium dicendi prodit morem, quam primi secundique monumenti. Sic Zelafeadi filiae simpliciter *Jehovam* vocant XVII: 4, ubi Josuam permovere conantur ut ipsarum in gratiam Dei iussum exsequatur. Scriptor ipse XVIII: 7 ubi quasi imitans XIII: 14 de Levitis dicit, sacerdotium Dei illis pro haereditate esse, tantum *Jehovam* appellat. Illo in loco *Jehovam Israëlis Deum* habemus. Hic titulus nostro plane ignoratur. Semel יהוה אלהיני, XVIII: 6. Denique Levitis illustriori nomine insigniendus fuerat XXI: 2, Josuam principesque populi cohortantibus, ut sibi ex Dei Mosisque mandato urbes darent habitandas. Notandum est autem Dei insolitum nomen XVIII: 3 יהוה אלהי אבותיכם.

Mosis titulus עבר יהוה scriptori in usu est; sed prorsus alieno loco, XVIII: 7, ubi simplici ratione loquitur, titulumque splendidiorem in ipsius Dei appellatione omittit. Contra ille duobus in locis desideratur, in quibus magnificentius Dei nomen pariter desiderabatur. XVII: 4. XXI: 2.

Josuae patronymicum nomen in secundo non aderat monumento. In nostro adest. At quum in primo, postquam semel ducis mentio facta esset, absque omni consilio additum videretur, in nostro contrarium obtinet. Ubi enim simul cum principibus populi viris summoque memoratur sa-

cerdote, iis omnibus in locis *Filius Nunis* vocatur XIV: 1. XVII: 4. XIX: 51. XXI: 1. Ceteroquin rursus per totum monumentum simpliciter *Josua* appellatur. XVII: 14, 15, 17. XVIII: 3, 8, 9, 10. XX: 1.

Et vero, sic ad illud sponte adducimur, quod in hac disputatione non erat praetermittendum, administrationem rei publicae secundum hoc monumentum alio modo comparatam videri, quam secundum praecedentia. Quae qua ratione vere constituta fuerit, id pluribus explicare conatus sum in commentatione de auctoritate et potestate Pontificis, quae in Groningano certamine literario praemio fuit ornata (45). Itaque huc rediit nostra sententia, Mose mortuo, Josuam militaribus rebus solum praefuisse, reliquis vero ad reipublicae administrationem pertinentibus negotiis eundem cum Senatu, sive singulis singularum tribuum principibus, praeside summo Sacerdote. Qui Senatus nono capite commemoratus est, de Gibeonitarum sorte cum Josua decernens. Sacerdotem scriptor tacuit, quem consilii fuisse participem a Flayio relatum accepimus (46). Quo auctore Josua pactum quoque, a speculatoribus cum Rachabe initum, ad sacerdotem et principes retulit, iisque probavit (47). Si quis autem putet, Josephum in rebus
tam

(45) Vid. Annales ann. 1822—23. Cap. I. § 4 et Theologische Bijdragen voor het jaar 1826. XIV D. III St. p. 462 sqq.

(46) Arch. I. 1, 16.

(47) l. l. § 2.

tam antiquis non satis probabilem esse auctorem, cogitet quaeso primum quidem, de principum populi in summas res vi et potestate, ex capite nono luculenter constare, de sacerdotis autem ex nostro monumento. Quae duo inter se comparata monumenta Josepho fidem omni dubio superiorem conciliare videntur. Sacerdotem non magni fecisse suspicor primi monumenti auctorem, Josuam valde admirasse, quod laudes testantur IV: 14. VI: 27. Hinc omnia quae Josua coniunctim cum aliis fecisse videtur, illi uni tribuit auctori primario. In re Gibeonitica sola non plane praeterire poterat tribuum principes, quippe quorum in eo foedere percutiendo partes manifestae nimis nimisque illustres fuerant. Secundi monumenti auctor itidem de Josua solo, nisi quod principes ac iudices memoret, ad quos verba ille fecerit. Jam diversam nostri vide rationem. Agnoscit enim, ab initio ad finem, pontificis ac principum auctoritatem, quo minus sane dubitari potest, num ab uno auctore hoc monumentum compositum sit. Semel principes nomine vocat quo in primo monumento vocabantur, XVII: 4 **הנשיאים**. Amat vero alium titulum, eumque longe illustriorem, **ראשי אבות המטות לבני ישראל**. Sic fere reliquis in locis. Aliquando tamen solo de Josuâ loquitur. XVII: 14 sqq. XVIII: 1—10. XX. De quibus tamen locis non ideo suspicandum est, ea male ad hunc scriptorem referri. Nam ad primum quod attinet, eodem illo capite, quod totum in tribus Manassis ditione exponenda versatur, principum et Eleazaris mentio fuerat.

rat. Decimi autem octavi initium, quod supra diximus, ipso argumento suo ad topographicas tabulas pertinet. Quae ad dictionem eius capitis pertinentia nostro priva sunt, ea quoque notavimus. Eadem in Capite XX observata fuerunt.

De nominibus populi Israëlitici observandum est, neque **ישראל**, neque **גוי** aut **עם** umquam in hoc monumento inveniri. Ultima duo etiam in secundo defecerant; vid. p. 62. Deinde huic proprium est, ut, cum Israëlitae vulgo appellentur **בני ישראל**, his saepe summa rei publicae potestas adscribatur. Conf. XIV: 5. XVIII: 1. XIX: 49, 50. XXI: 3, 8. Nonnullae quoque tribus nova nuncupantur ratione. XIV: 3 **מטה**, non addito Manassis nomine. XIII: 29 **לחצי מטה בני מנשה**. Quod vero colon verosimiliter interpolatum est. In Hebraicis aut illae voces, cum verbo suo **ויהי**, aut quae praecedunt: **ויתן משה לחצי שבט מנשה** abundant. Interpretes quoque diversam a vulgari lectionem, sed alii aliam ob oculos habuisse videntur. Vulgatus omittit *Mosen* et verba inde a **ויהי** usque ad **מנשה**. Sic etiam Graecus et Arabs. Utcunque vero sit, similem habes tribus nuncupandae rationem XIX: 1, 24, 40.

Praeterea tenendum, neque in primo, neque in secundo monumento accidisse, ut tribus aliqua solum parentis sui nomine appellaretur. Quod fit e. g. XIV: 4 **כי היו בני יוסף שני** 4 **מטות מנשה ואפרים**. Conf. XVI: 1. XVII: 5. XVIII: 5, 7. XIX: 1, 17. De dimidiâ tribu Manasse insolitum est hoc: XVII: 1. XX: 8. Insolitum etiam, Manassis nomini articulum

non praefigi. Insolitum denique, tribum **בית** vocari; natio universa sic dicta fuerat supra in secundo fragmento. Hic una tribus XVII: 17. XVIII: 5. Ad dicta confer p. 19, 62, 64; infra addenda ad p. 64.

Ad ea, in quibus nostrum a secundo monumento discrepat, etiam illud pertinet, aliam XIII: 14 dari causam, cur Levitae nullam haereditatem in terra Trans-Jordanica acceperint, Cap. XIV: 3, 4 aliam. Deinde Levitae hoc loco non **שכט הלוי**, uti Cap. XIII, sed **הלויים** vocantur, nomine igitur peculiari. Aliter enim III: 3: quo loco **הכהנים הלויים** dicuntur, nisi vera sit Codicum haud paucorum lectio, cui faveat Graecus, Syrus, Arabs, Chaldaeus: **והלויים**. Quod vero ad causam attinet, de qua modo sermo fuit, cur non Leviticae quoque tribui haereditas data sit, alia etiam fuisse dicitur in nostro, XVIII: 7: **כהנת יהוה נחלתו**. Mirum profecto videatur, eundem auctorem eadem de re duplicem ferre sententiam, sed non eiusdem rei mentio est. Etenim Cap. XIV, plane sicut Cap. XIII, causa memoratur, cur nullam possessionem Levitae in Trans-Jordaniticis regionibus acceperint, Cap. XVIII vero cur prorsus nullam. Quid vero? An igitur hoc colon, et quae cum eo coniuncta sunt, alii tribuamus? Verum enim vero tot ceteroquin abundat indiciis, ex quibus de uno eodemque esse cogitandum appareat, ut dubitandi locus vix superesse videatur.

Praeter ea quae adduximus, unum alterumve superest, hic proferendum. Cum XVIII: 1 concio Silunte habita fuisse diceretur, qua occasione data, Josua reliquam nondum divisam terrae portionem de-

describi atque sorte dividi iusserit; cum insuper tabernaculi mentio fieret; quippe in urbe illa, ubi partitio deinde contigerat, erecti; postea, ubi Capite XIX rem omnem confectam et in tabulas topographicas relatam legimus, totidem fere verbis eadem habes, quae initio narrationis de dividenda terra, Cap. XIV: 1, adfuerant. Siluntis etiam et tabernaculi sermo est. Hoc autem utroque in loco **מוער אהל** dicitur, cum in primo monumento uti p. 19 dictum est, **בית אלהים, בית יהיה**, vocaretur. Deinde in censum venit illud **מעבר לירדן**, XVIII: 7 obvium, pro **בעבר הירדן** nostro consuetum. Conf. XIV: 3. XVII: 5. XX: 8. De primo et secundo monumento vid. p. 19, 57, 58. Occurrit insuper XVIII: 4 phrasis quaedam, pro quâ, simili in re, primi monumenti auctor aliâ usus est. Cum verbis enim **הבו לכם שלשה אנשים לשבט** conferatur III: 12. IV: 2: ex quâ collatione, ni fallor, horum locorum et nostri discrepantia cuiusvis facile apparebit. Verbum illud **הבה** in universo primo nusquam occurrit monumento. Deinde etiam omisio verborum, quae in utroque illo loco, collato insuper IV: 4, exstant; **איש אחר איש אחר לשבט**, illa haud dubie alium prodit scriptorem.

§ 2.

Ex argumento.

Itaque cum magna hoc in monumento dictionis convenientia et a reliquorum diversitas esse appareat, non committendum videtur, quin oculos tandem in argumentum eius convertamus, quod unum est

absolutum, integrum. Nam ut alteram Capitis XIII partem nunc quidem paululum mittamus, clarissime docet sequentis inscriptio capitis, scriptori animum fuisse, ut agrorum divisionem, a Pontifice, Josuâ, Principibus denique tribuum, sorte factam, scripto traderet atque explicaret. Ecquid igitur aliud professus est, aliud hoc monumento praestitit? Videamus. Quae eodem capite refertur Calebi historia ea interpolata est. Quod ex dictione et stilo mox efficere conabor. A quo tandem scriptore conscripta sit, huius certe monumenti scriptori tribuenda non est. Nunc vero haec quaerimus: utrum quis, post verba scriptoris: «haec sunt quae Israëlitis in possessionem dederunt;» a quibus initium est Capitis XIV; verbosam, etsi quod ad Calebi orationem attinet, lectu iucundissimam, de huius haereditate narrationem expectes, an vero potius divisae descriptionem regionis, qualis sequitur Capite XV. Apte igitur illud ויהי הגורל, quod principium est decimi quinti capitis, excipit dicta XIV: ואלה אשר נחלו—בגורל נחלתם. Quid caussae sit cur Meyer hic loci scrupulum in historia Calebi obvium non senserit, equidem nescio. Senserunt plerique viri docti qui hoc de libro scripserunt.

Finibus autem agrorum Judae descriptis, egregie additur urbium huius tribus catalogus. Vix iterum monere necesse est, alteram de Calebo historiam huc non pertinere. Quod quoque Meyer sensit, qui diversas de huius fragmenti origine proponit opiniones, de quibus fortasse infra aliquid dicendum erit. Ad ea autem quae ait ille,

num

num forte auctor tabularum topographicarum aliquo necessitudinis vinculo cum ipso Josua conjunctus fuerit, quia mediis in illis duae inveniuntur de imperatore narrationes, hoc unum observandum putamus, stilum earum narrationum aperte docere, non uni sed duobus eas scriptoribus esse tribuendas. Accedit autem, quod supra monuimus, tabularum auctorem non multum suspicere Josuam, hoc auctoris primi monumenti fuisse. Sed ad nostrum revertamur.

Igitur Capitibus XVI et XVII pergit in argumento suo. Id temporis cum non plurimum tribuum divisa esset haereditas, ille ubi subsistendum erat, eo in loco subsistit. Deinde vero Capitibus XVIII et XIX, ad finem perducit narrationem, praeter nudam tabularum topographicarum descriptionem, etiam modum significans, quo posterior illa partitio locum habuerit. Finem operi iisdem imponit verbis, quibus initium fecerat.

Habes igitur nunc iam perfectum absolutumque unius argumenti opus. Cui non obstat sententiae, quod Wettius ait ut et auctores ab ipso excitati (48), non statim Cap. XV esse traditum, Simeonis tribum agros suos mediâ accepisse in Judae haereditate; conf. XIX: 9. Neque enim contendimus, uno quasi tenore, rem omnem, scripsisse auctorem, aut non prius trium primarum composuisse tribuum tabulas, quam ditionis caeterarum divisio obtinisset. Contra quae singulis singula acciderent temporibus, ea statim vel paulo post memoriae prodidisse videtur, unde fieret ut scri-

scriptione eius et pristinus rerum status cognosci posset, et quas postea subiisset mutationes. Quapropter neque etiam illud nobis obesse putamus, quod urbes quaedam, antea Judae adiudicatae, postea ad Danem transiisse dicantur. v. Cap. XV: 20 sqq. Coll. XIX: 41 sqq (49). Nam quod illae primum in catalogo urbium Judae recenseantur, postea vero ab eadem manu Daniticas inter relatae sint, id manifestius etiam utriusque tabulae probat auctoritatem, manifestius etiam utriusque originem antiquissimam declarat; verisimiliorem denique reddit opinionem, in quam utraque nos modo induxit et interna et externa forma tabularum, unum esse omnium auctorem. Non mirum autem videri potest, qui topographicam tribuum dederit descriptionem, eundem subiecisse urbium refugii tabulam, una cum monito ea de causa a Deo imperatori facto. Tandem scriptor, ne aliquid universae rei deesse videretur, catalogum Leviticarum urbium adiecit, quae Levitis ex quaque tribu a Josua, sacerdote et principibus traditae essent. Ad tabulam denique Trans-Jordaniticae regionis quod attinet, quae in fine Capituli XIII exhibetur, de illa sic sentio, monumenti huius auctorem; cum, ut unum ex suis ac praecedentibus scriptum efficeret, tum ut universum divisae Palaestinae conspectum daret, illam caeteris praemisisset; quae disiuncta membra deinde totius libri collector colo 33, veluti vinculo quodam, cum initio Capituli XIV coniunxerit. Cuius funda-

(49) Vid. Eichhorn, l. l. in no. 8. § 446. p. 365, 66.

damentum sententiae in eo etiam invenire mihi visus sum, quod Capitis XXI colon 41 aptissime excipiat colon 14 Capitis XIII; quae partes igitur a nostro auctore quasi disruptae videntur, ut suam apte interponere posset narrationem. Bertholdus quidem autumat, Capitis XIV: 1—5 scriptorem Caput XIII scribere non potuisse, quia Cap. XIV: 3 de ditioe Trans-Jordanicâ, tamquam de re novâ ac ignotâ mentio fiat. Quodsi vero statuamus, tabularum auctorem, tum demum illius inseruisse descriptionem, cum omnem sortitionis divisionisque agrorum historiam prodiderat, quidni suspicemur, eum, securum, num Critici olim ad voculas quasdam essent offensuri, quae ex re veritate antea scripsisset, non diligenter expunxisse, quia iam minus cum sequentibus cohaerere viderentur.



CAPUT QUARTUM.

DE CAPITE XXII: 9 SQQ. SIVE DE QUARTO
HUIUS LIBRI MONUMENTO.

§ 1.

*De dictione huic monumento propria, a reli-
quorum monumentorum dictione diversa.*

עלה, *hostiliter egressus est contra aliquem*, cum על constructur c. 12, 33. Aliter in primo monumento. Vid. p. 4.

Ab eiusdem more discrepat verbum דבר ante ipsa verba positum quae quis loquatur. e. g. C. 15 וידברו—לאמר. Hac in re itaque cum tertio convenit monumento. Primum contra in eo noster sequitur, quod verbum אמר pro דבר usurpet generaliori notione loquendi. Semel hoc factum C. 33. ולא אמרו לעלות עליהם. Peculiaris autem ac proprius nostro est usus verbi דבר, pro אמר pleonastice scripti. C. 21: ויענו דבר—וידברו. Constructur autem hic loci cum Accusativo. Quae constructio etiam c. 15 obvia, semel adfuit in praecedenti monumento, si quidem lectio ibi germana sit, de quo tamen mag-nopere dubitandum videbatur. Ad haec vid. p. 2, 3, 55, 60, 74.

עשה cum ל prospicere significat c. 26. Om-
nino contra primi et secundi monumenti consue-
tu-

tudinem. Vid. p. 3, 56. In tertio non occurrit.

קרא, *Vocavit locum hoc vel illo nomine*, cum ל coniungitur c. 34. Sic in tertio, aliter in primo. Vid. p. 5, 77.

שוב, *Alicui retulit aliquid*, Accusativum regit personae c. 32. Aliter in tertio. In primo et secundo non adfuit. Vid. addenda ad p. 77.

שבט ac **מטה** permutantur. Illud legitur c. 9, 10, 11, 13, 15, 21. Hoc c. 14. In quibus itaque vocabulis utendis noster a reliquis abit monumentis. Nam in primo **מטה** non legebatur, nisi ex tabulis publicis illuc verosimiliter translatum. Secundum faciebat cum primo. In tertio autem hoc vocabulum saepe, illud raro scriptum erat. Vid. p. 4, 55, 73, 74.

אך, *profecto*, c. 19, non antea hac notione occurrit. *Sed* significabat III: 4.

ביר, c. 9 eâdem ratione qua saepius in tertio monumento. Vid. p. 76.

אחזה, c. 9, 19. *Haereditas*, secundi ac tertii monumenti vocabulum; **חלק** c. 25, 27; **נחלה** vero quod in primo semel at in tertio saepissime aderat, **ירשה** quod solum in primo, utrumque nostro insuetum est. Vid. p. 4, 60, 75.

תוך de *medio populo* c. 19, 31; semel in primo, plerumque vero pro **קרב** in tertio adfuit. Vid. p. 4, 77.

Igitur quod ad usum constructionemque singulorum vocabulorum attinet, ubi praecedentia discrepant, noster fere omne illud exhibet, quod singulis privum erat, et in quo a se invicem erant diversa. Accedunt nonnullae structurae et vo-

cabula non nisi in nostro obvia. Jam vero ad grammaticas formas transeamus.

Quod in primo et tertio monumento ne semel quidem, in secundo semel modo accidit, ut articulus nomini appellativo indefinitae notionis praefigeretur, id nostro saepius in usu est. Neque solum hunc morem sibi proprium habet, sed plane oppositum etiam, cuius quidem in nullo alio huius libri monumento exemplum invenitur. Articulo enim caret nomen, cui ob definitam vim ac potestatem adiungi debuerat. Sic c. 20 **ועל כל עדת ישראל והיה קצף**. Quidni **והקצף**? Neque enim ignotae cladis sermo erat, sed quae populo ob crimen Achanis inflicta esset. Quam parum autem scriptor sibi hac in re constiterit, luculenter apparet, collato c. 17. Memoratur enim crimen Peoris, plagaque eam ob causam Israëli immissa. Rem vides supra traditae simillimam. Atque hac occasione Articulus additur. **ויהי הנגף בעדת יהוה**. Subit praeterea mirari, cur tandem c. 19 et 20 vocabulum **מזבח** Articulo careat, cum de altari saepius iam commemorato sermo sit. Praeterea Articulus colo 26 sine dubio non adhibendus fuerat, ubi Trans-Jordanitici inter sese dixisse feruntur **נעשה נא לנו לבנות את המזבח**. Nulla enim definita ara hominum menti obversabatur. De colo 11 idem valet. Utrumque locum Belgice vertens, sine dubio dicas, *een altaar*. Contra vero c. 32, pro **דבר**, scribendum fuerat **הדבר**, uti scriptum est c. 33. Itaque etiam c. 24. **מדבר** omnino scribi oportuisset **מהדבר**. Quod egregie in hanc sententiam reddidit Palmius, vir clarissimus,

mus: *de goede zaak*. — Discrepans hic Articuli usus mihi profecto tanti videtur, ut solus verosimilem faciat opinionem, hanc narrationem peculiarem habuisse scriptorem.

Pronomen Femininum impersonali, quam dicunt, notione in Accusativo positum, notam את praemissam tuetur, c. 24. Aliter in primo monumento: in caeteris simile quid non invenitur. Vid. p. 11 et addenda.

Infinitivus Constructus passive usurpatur, c. 11, וישמע בני ישראל לאמר. Quem usnm in primo semel notavimus. II: 4. Vid. addenda ad p. 49.

Litera ל significando Genitivo non adhibetur, quemadmodum in tertio factum monumento. Vid. p. 77.

Relativi accusativus non exprimitur addito Pronomine affixo. c. 16, 28, 30, 31. Accidit illud in primo tertioque monumento. Conf. p. 49, 63, 78. Ab hoc rursus in eo recedit noster, quod adiectivum atque pronomen, substantivo adiunctum, ad huius componat rationem, sicut in duobus prioribus locum obtinuit. Conf. c. 10, 16, 17, 22, 31. Vid. supra p. 56, 57, 73.

Nota accusativi, ob articulum exprimenda, semel omittitur c. 31. Quod in primo saepius accidisse vidimus. Regulam sequitur c. 11, 26, 30. Genitivus ubi sequitur, nota semper additur. Conf. c. 27, 28, 30; quemadmodum articulus Genitivis definitae notionis omnibus praefigitur. Vid. c. 9, 10, 11, 13, 15, 27, 28, 31; deficit autem, ubi annectitur affixum Pronomen. Vid. c. 9, 19, 27, 26, 29. His rebus omnibus noster primo solum opponitur monumento. Cae-

terum nullum exhibet earum a grammaticis regulis exceptionum exemplum, quae in secundo aut tertio invenimus monumento. Vid. p. 5 sqq. 63, 79.

Itaque formarum grammaticarum similis est nostro ac vocabulorum ratio. Ubicumque aut primum, aut secundum, aut tertium a reliquis diversum erat monumentum, noster ab utrovis sua mutuatur. Nullius vero plane refert colorem, quin ab omnium consuetudine tam longe remotus est, ut propriam sibi habeat formam maximi momenti grammaticam, nullibi praeterea in Josuae libro observandam. Nunc ad reliqua veniamus.

Quo summum Numen nuncupatur nomen, quamvis a primi et secundi ratione his in locis, c. 9, 24, 25, 27, 29 non abhorreat, abhorret tamen in oratione legatorum Israëliticorum ad fratres Trans-Jordaniticos habita. Vocatur Deus in solito titulo, אלהי ישראל, c. 16, et c. 22 אל אלהים יהוה. Peculiari quoque ratione Articulum accipit nomen אלהים c. 34: כִּי יְהוָה אֱלֹהִים. Aliter Rachab II: 10, כִּי יְהוָה אֱלֹהִים הוא. Hac igitur in re nostrum cum nullo alio comparari potest monumento, sibi privam sequitur consuetudinem. Vid. p. 12, 20, 57, 79, 80.

Alterum, quo a reliquis discernitur, ad magistratus rei publicae, quorum mentio iniicitur, pertinet. De Josuâ, de Eleazare ne verbum quidem; quorum itaque post obitum universa hic narrata res accidisse videtur. Ex quo iam colligi potest, de ordine, quo dispositae sint libri partes, quid sentiendum sit. Namque duobus sequentibus capitibus Jo-

sua rursus in scenam producitur, rei publicae praefectus. Neque tamen e solo silentio, quo nomina Josuae et pontificis premuntur, certo effici posse arbitror, auctorem unius aut alterius praecedentium monumentorum non haec quoque scripto mandare potuisse. Accedit vero primum quidem, quod Pinehae nomini colis 13, 31, 32, addatur patris nomen. Neque hoc enim in tertio monumento Eleazaris nomini contigerat. Deinde quod e titulis quibus principes viri civitatis commemorantur, duo quidem e praecedentibus desumpti videantur monumentis, unus vero nostro esse privus et proprius. Ille enim in tertio: ראשי הנשיאים, אבות המטות לבני ישראל. Hoc in primo etiam adfuerat. Noster נשיאים quidem c. 14 et הנשיאים c. 32, sed c. 30, ראשי אלפי ישראל נשיאי העדה etiam נשיאי העדה dicuntur. Hos enim eosdem esse, quamvis copula disiunctos, apparet collato c. 14, ubi haec de iis, qui vocantur, נשיאים לבית אב לכל מטות ואיש ישראל, explicandi caussa adduntur haec, ראש בית אבותם המה לאלפי ישראל. Vid. de his p. 15, 16, 65, 85 sqq.

Non vereor, ne quis mihi non assentiatur, omnia haec auctorem indicare, cui nullum aliud monumentum huius libri acceptum sit referendum. Accedunt alia dictioni ipsius propria. Sic, ut hoc utar, nec legis Mosaicae, nec foederis a Deo cum Israële icti, mentio ulla est. Atqui frequens illa fuit in primo et secundo monumento, ac nostro saepius usui esse potuerat, cui rursus formula שוב מאחרי ידוה, propria est, v. c.

c. 16, 17, 18, 23, 29. Cum porro Capite IV monumentum lapideum in fluvio cecidit diceretur *signum* esse, אִוֶּת, posterorum memoriae commendatum, noster cum eodem nomine appellare potuisset altare a Trans-Jordaniticis erectum, hoc constanter dixit עַר, c. 27, 28, 34. Ad insolitas phrases, quarum sensus alio modo in duobus prioribus monumentis erat expressus, illam quoque referimus, c. 27, לַעֲבֹד אֶת עֲבֹדַת יְהוָה.

Denique in comita Trans-Jordaniticorum oratio, quod iam sexcenties dixerant, repetentium, sexcenties ponentium illud וְנֹאמְרוּ, וְנֹאמְרוּ, וְנֹאמְרוּ, quod rudiorum est hominum; illa, inquam, si cum multo faciliori Rachabis Cap. II, et Gibeonitarum, Cap. IX: 8—13 pariter causam suam orantium, comparemus, non dubitandum videtur, quin has pericopas a diversis auctoribus scriptas existimemus, quorum alter ita differret ab altero, ut ille, non accurate, prouti acceperat, aliorum verba redderet, sed quodammodo ad suum dicendi genus composita, hic vero incondita, absque omni cultu, nulla adhibitâ limâ, referret.

§ 2.

De argumenti unitate.

Argumentum huius narrationis unum est, neque tamen ab iis quae praecedunt, plane independens. E contrario c. 9, cum c. 8 tam arcte coniunctum est, ut vix dubitem, quin lectorem, locum nostrum leviter inspicientem, magna admiratio teneat, quod partes istas divulserim. Spero tamen

men fore ut mirari desinat, si dubia exposuerim, quae contra unam huius totius capituli originem proferenda videntur. Unde quidem partium, argumento tam egregie convenientium, dictione tam vehementer discrepantium, coniunctio explicanda sit, certo affirmare non possum. Multiplices autem ea de re animo versanti coniecturas, denique in mentem venit, num narrationis initium colo 11 quaerendum sit. Incipit tunc quidem narratio ex abrupto. Sed eiusmodi plura in hoc libro inveniuntur e fragmentis composita loca. Conf. VIII: 30. XIV: 6. XV: 13. Certe colon 11 non indissolubili vinculo cum praecedentibus copulatum est, quod de nono colo nequit negari. Suspiciatus igitur sum, diversorum monumentorum fragmentorumque collectorem, prima Capituli XXII cola cum 11 sqq coniungere studentem, apte nonnum decimumque inseruisse, ita ut unam ex duabus efficeret narrationem. Quae res eo probabilior mihi visa est, quo clarius in colis, quae interpolata existimo, dictionis colorem animadvertere mihi videar, diversum a dictione praecedentium, magisque etiam a sequentium. Ex primo monumento illud vidi Rubeniticae Gaditicaeque tribus nomen בני ראובן ובני גד, tum משה pro שבט. Ex proxime praecedentibus autem אחזה et אחז. Ex tertio monumento phrasin: על פי יהוה ביד משה. Nonne mirum, haec diversis fragmentis propria unum huc in locum quasi aggregari? Accedit porro quod scriptor anxie operam dedisse videatur, ut lectores bene perciperent, se de eadem re gesta loqui, quae paullo an-

tea esset tradita. Eo consilio sedulo monuit, unde, quibus relictis, et quas in oras Trans-Jordanitici migrarent. «Et profecti sunt, inquit, ab «Israëlitis, Silunte, quae in terra Canaäne sita est, «ut contenderent in terram Galeaditicam, in terram haereditatis suae, quam a Mose ex Dei «mandato in haereditatem acceperant.” Nonne haec prorsus imaginem annotatiunculae referunt, postea additae, ad ea quae sequuntur, uberius, et luculentius explananda? Commode, his dictis, de ara aedificanda nonnulla subiecit, ut scilicet transitus ad reliquam narrationem satis aptus foret.

Haec mea sententia, dicam, an coniectura, num quamdam probabilitatis, aut si malis, verisimilitudinis speciem prae se ferat, viri harum rerum peritiores iudicent. Id scio, me mihi persuadere non posse, aut totum hoc caput uni auctori deberi, aut initium eius non illi attribuendum esse, cui supra tribus.

CAPUT QUINTUM.

DE CAPITE XXIV: 1—28, SIVE DE QUINTO
HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Quum de argumento nihil aliud dicere habeam, quam unum esse; neque cum praecedentibus, neque cum sequentibus, necessario coniunctum vinculo; quod ad temporis ordinem attinet, recte versus finem libri collocatum; stilus solum atque dicendi genus disquisitioni ansam dabunt. A Bertholdto (50) et Wettio (51) pro diverso habetur a capite praecedenti monumento.

Verbum שמע *obtemperavit alicui* plane insolito modo cum ל constructur, c. 10., cum בקל tamen quoque, sicut in primo monumento c. 24. Vid. p. 3, 56.

Incolae Hierichuntis dicuntur בעלים c. 11. In primo monumento ישבים. Neque vero ullius aut urbis aut regionis incolae isto nomine appellati fuerunt. Vid. p. 5 et additamenta ad p. 77.

A secundo monumento nostrum in eo discrepat, quod populi Canaänitici illi semper נים, nostro עם dicantur c. 17, 18. Vid. p. 61. Quod utrumque vocabulum cum plus semel occurrat, nullibi vero permutetur, eo certius ex hac discre-

(50) Vid. l. l.

(51) § 168.

crepantia diversa utriusque capitis origo demonstrari posse videtur.

Verba alicuius in primo monumento דברים dicta sunt III: 9, item in secundo XXI: 43. XXIII: 14, 15, in nostro אמרים c. 27. Habes tamen illud c. 26.

דבר cum עם Praepositione insolentius construitur c. 27. Verbum saepius hinc non occurrit. Itaque usus verbi אמר semper prioribus duobus monumentis consentaneus est, vid. c. 2, 16, 19, 21, 22, 27, 37. Observandum autem formulam לאמר plane deficere. Ad haec vid. p. 3, 4, 55, 60, 61, 74, 90.

In monumento tertio et quarto verbum קהל usurpatum est de convocanda concione, XVIII: 1. XXII: 12. In nostro אסף, c. 1; quod de colligendo exercitu in primo adfuit X: 5.

עשה malum attulit, c. 7 cum ב construitur. Non antea hoc factum. Vid. p. 4, 56.

Si de מטה aut שבט quaeritur, hoc semel obvium est, c. 1. De medio populo קרב dicitur c. 5, 18 Haec primi monumenti rationi conveniunt Vid additam. ad p. 3. p. 4, 55, 73, 77, 91.

Terra nunquam ארמה, sicut Cap. XXIII. v. p. 61.

Ad grammaticas formas quod attinet, observandum est, in hoc solum monumento fieri, ut genitis nomini articulus non praefigatur, c. 5 ואנף את מצרים. Ac ne quis putet Aegyptiorum nomini forte nunquam adhiberi articulum, colon 7 conferat, ubi, ובין המצרים.

Pronomen femininum separatum in accusativo

positum, secum habet casus sui notam c. 5. Secus factum in primo, eodem vero modo in quarto monumento. Vid. p. 11, 93.

In articulo appellativis nominibus praefigendo noster consuetam sequitur rationem, quae in primo et tertio monumento apparuit, v. c. 2, 6, 7, 13, 14, 15, 17, 19, 20, 21, 22, 24, 25, 26, 27. Ex quibus quoque patet exemplis, si quando adiectivum et pronomen substantivo adiungatur, illa huius sequi rationem. Aliter in tertio monumento factum, quocum rursus communem habet noster negligentiam generis c. 13, וערים—ותשבו בהם. Vid. p. 8, 9, 11, 56, 62 et additam. ad p. 78. p. 92, 93.

Nota accusativi neque ubi praefigitur Articulus, v. c. 7, 12, 17, 26, 28; neque ubi affigitur Pronomen, omittitur, v. c. 3, 6, 8, 11, 17, 23. Hac igitur in re noster a primo et quarto monumento discrepat, convenit cum secundo ac partim cum tertio, sed Genitivo sequente, semel omittitur c. 12, quod in primo solum acciderat. Rursus articulus Genitivis definitae notionis praefigitur omnibus: c. 1, 2, 3, 8, 12, 14, 15, 17, 18, 27: deficit autem si affixum est Substantivo Pronomen. v. c. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 13, 15, 17, 23. Utriusque rei contrarium in primo vidimus monumento. Conf. p. 5, 7, 63, 79 et nota, p. 93. — Denique Kethib semel habet ה affixam primae personae singularis Futuri, c. 7.

Noster igitur in grammaticis unam tantum formam offert peculiarem, qua a reliquis discernatur.

A quibus omnibus ceteroquin eo diversus est, quod nullius eorum in caeteris formis plane sequatur rationem, neque idcirco ad aliquem eorum referri queat.

In Deo nuncupando cum diversorum praecedentium monumentorum, tam peculiarem suam sequitur viam. Ex primo monumento est c. 2, 23 **יְהוָה אֱלֹהִים יִשְׂרָאֵל**, praeterea in universum modus, quo populus Josuae respondens, c. 16, 17, 18, de Deo loquatur nunc *Jehovam* nunc *Jehovam Deum suum* vocans; tum denique c. 18 non dicens: **כִּי הוּא הָאֱלֹהִים**, sed **כִּי הוּא אֱלֹהֵינוּ**. Neque enim nomen illud in primo praefixum habuit articulum, quem in quarto recepit, sicut monitum est. Quocum rursus solo hac in re convenit, quod nomine *Elohim* utatur, non addito nomine *Jehova*. Id factum c. 27 **פָּן תִּכְהַשֵּׁן בְּאֱלֹהִים לִפְנֵי יְהוָה**, et c. 1 ubi populus **לִפְנֵי יְהוָה** convenisse dicitur. **יְהוָה** in primo usitatum, IV: 14. VII: 23. In nostro c. 26 legitur **בְּסֵפֶר תּוֹרַת אֱלֹהִים**. In primo mentionem factam vidimus *libri legis*, in secundo *libri legis Mosis*. Itaque etiam haec in re memoranda, peculiaris monumenti huius norma est. Insueta quoque haec Dei sunt nomina: **אֱלֹהִים הוּא**, **קָדְשִׁים הוּא**, **אֵל קְנוּא הוּא**. Vid. p. 12 sqq. 57, 79, 94.

Haec hactenus. Satis apparuit, credo, magna etiam hoc inter atque secundum monumentum diversitas, ita ut non verendum videatur, ut quisquam nostrum et vigesimum tertium caput eidem eam ob causam tribuere velit scriptori, quod

Josua utroque in loco iisdem verba fecisse fertur. Vid. Cap. XXIII: 1. coll. XXIV: 1. Hic etiam memorantur magistratus, ראשים, זקנים, שפטים, שטרים.

Quod autem illa in re a reliquis etiam abeat monumentis, id satis incurrit in oculos. Neque etiam prius factum est, ut populus Israëliticus, nomine עם loquens induceretur, aut decernens, quid agendum esset. Quod in tertio et quarto quidem בני ישראל τοῖς tributum erat, sed in neutro horum עם exstabat. Neque etiam in secundo hoc vocabulum aderat, aequè minus ac in nostro גוי, quod in primo cum עם commutabatur. Sic igitur cuique suum genus dicendi est. Sanctuarium Dei quoque proprio nomine insignitur, c. 26 מקדש יהוה. Quod ad formulam בעבר הירדן, etsi ipsa non adsit, noster tamen ad primi et secundi monumenti rationem propius accedit, cum dicat, בעבר הנהר, c. 2, 14, 15. Vid. 19, 42, 62, 83 et additam. ad p. 95.

Alia quaedam observanda sunt. Profecto mirandum est, auctorem semel tantum Mosis meminisse, c. 5, cum multiplex eius commemorandi esset occasio. Omnes enim recensentur expeditiones, quorum dux et auspex fuerat. Neque etiam additur illud עבר יהוה, quod secundum primi monumenti normam necessario addendum fuerat. Aliter in secundo, in tertio aliter. Vid. p. 18, 64, 80. A primo etiam differt, quod lapis in memoriam posteriorum erectus ער non אות dicatur. Ab hac igitur parte noster cum quarto monumento convenit. Vid. p. 96. — Sed quam

rudis et incompta in hoc erat Trans-Jordaniticorum oratio, tam nobilis, polita, vigoris et eloquentiae plena est in nostro et Josuae oratio et populi responsum. Totum hoc monumentum lectu dignissimum est ob stili gravitatem, decus et venustatem. Prorsus alia quoque beneficia Josua hic memorat, quam quae Israëlitis in mentem revocaverat capite XXIII. Neque hic etiam de Deo amando aut illi adhaerendo sermo est, solum de Numine colendo. Deinde insolitum est illud c. 12 **ואשלה לפניכם את הזרעה**, nec non quod sequitur verbum **גרש**, repetitum c. 18. Colo 14. Josua populum hortatur ut Deum colat, **בתמים ובאמת**; in secundo fragmento Cap. XXII, XXIII, **בכל לבבכם ובכל נפשכם**. Vid. p. 61. Illic solum de Diis Canaëniticis non adorandis sermo erat, noster Deorum etiam, quos Israëlitarum maiores trans Euphratem coluerant, meminit. Conf. XXIII: 7, 12, 16. XXIV: 2, 14, 16, 23. Denique, ne plura addam huius generis, insolitum est illud: **וישם לו חק ומשפט**, c. 25.

Haec omnia qui considerat, vix dubito quin mihi assentiatur, hoc quoque monumentum a singulari profectum esse auctore contendenti.



CAPUT SEXTUM.

DE CAPITE VIII: 30 SQQ SIVE DE SEXTO HUIUS
LIBRI MONUMENTO.

Haec cola interpolata esse, Wettius, Meyero calculum addens, iudicavit (52). Ad quam ferendam sententiam, incongruus utrumque adduxit locus, quem in hoc capite occupant. Merito enim ab omni verosimilitudini alienum putant, quod Josua, exiguâ tantum Palaestinae parte devictâ, festum sacrum, quale his colis describitur, plena quasi in pace, celebrasset, hostibus loca montibus Ebalis et Garizim vicina adhucdum in sua potestate tenentibus. Hinc itaque cum gravissima oriatur suspicio, ab alienâ manu insertam esse narrationem, accedit quod dictio eius etsi paucas, tamen unam et alteram quoque praebeat difficultatem, quibus suspicio illa permultum augeatur. Vocabula singula ac verborum constructiones, nec non pleraequae formae grammaticae primi monumenti stilo satis bene conveniunt. e. g. constructio verbi צוה cum accusativo c. 31, כתב c. 31, 34, דברי c. 34 pro אמרי. Vid. p. 3 sqq. Participium עמדים, c. 33; coll. IV: 10, arcae sacerdotumque arcam portantium denominatio c. 33, 35, coll. IV: 10. Dei nomina c. 30, 31, 33 et Mosis per totum monumentum commemoratio. Ad quae omnia conferantur supra p. 3, 4, 12, 14, 18.

(52) l. l. § 168.

18. Quod tamen ad ultimum hoc attinet, non inficias iverim, alienum videri a scribendi genere auctori Capitis IV: 10 proprio, Mosen in hac simplici narratione appellari *Dei ministrum*. Neque etiam Numinis nomen, יהוה אלהים ישראל, primo plane convenit, in quo ipsum quidem legebatur nomen, sed alia tamen de caussa usurpatum. Quae res iam Capite secundo, pag. 57, observanda fuerat. Nam quoque secundum monumentum primo in eo quidem simile est, quod illo nomine utatur, utitur vero, sicut a nostro factum est, ad maiestatem Dei declarandam. At primi auctor Israëlis, quem vocat, Deum iratum isti proponit homini, de quo sermo est. Itaque hac in re nostrum et secundum cum primo monumento partim consentanea sunt, partim ab eo diversa. Idem valet de vocabulo וַא, a quo initium nostri est. Hoc enim semel in primo adfuit X: 35 sed alia ratione, medio in cursu historiae, non vero in novae narrationis principio. Quo quidem casu primi auctor ׀ Conversivam simul et Copulativam, solamve Copulativam usurpabat, vel etiam semel iterumque phrasin: בעת ההיא, Conf. V: 1. VI: 26. XI: 10. De locis quidem ipsis ubi Vau occurrat ut doceatur, non necesse est. Namque singulorum fere capitum initio adest. וַא vero initio narrationis in secundo monumento obvium est XXII: 1, sequente, uti nostro in loco, Futuro vi Perfecti, quod dicitur, historici. Quae utraque huius ac nostri monumenti convenientia non est negligenda. Etenim alia phrasis, qua noster ab auctore primi monumenti discernitur, etiam in secundo

praesto est. *Legem* dictam *Mosaicam* eadem ratione ac in primo ספר התורה appellat, c. 33. Sed simul quoque ספר תורת משה, c. 31, et משנה תורת משה, c. 32 vocatur. Atqui illud ex secundo monumento est; hoc nostro proprium. Propria quoque ei est haec Israëlis denominatio: העם ישראל. Quibus in vocibus non solum novum et insuetum est ipsum gentis nomen; sed articulus etiam, appellativo definitae notionis praefixus, quod nomen proprium regat in genitivo, non prius quam hoc in loco occurrit. Vid. supra p. 8, 56, nec non additamenta ad p. 78. Insuper aliud hic exstat populi nomen, c. 35, neque antea, neque postea usurpatum, כל קהל ישראל. His itaque in rebus nostrum a secundo aequè bene discrepat monumento ac a reliquis. Neque desunt tamen quibus unum et alterum parumper concilientur. Secundi auctor enim in articuli usu bis a regulis recessit grammaticis, idque iis in casibus, qui eiusdem fere generis esse videntur, in quo quidem noster peccavit. Cum enim articulum indefinitae significationis substantivo praefixit, tum genitivis duobus sese invicem excipientibus. Conf. p. 62. Deinde si insolentius hic cernis Israëlis nomen, insolentiori quoque usus est secundi auctor בית ישראל. Vid. p. 62. Quae cum ita sint, cola nostra esse a secundi monumenti auctore conscripta etsi certo statuere non ausim, tamen hac de re satis mihi esse persuasum lubenter fateor. Non parvi enim videtur, exhibere haec cola istiusmodi dictionis specimina, quae in solo monumento secundo inveniuntur. Quibus accedit, quod utriusque dictioni color primi monumenti inhaereat.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CAPITE X: 12—14 SIVE DE SEPTIMO

HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Totum hunc locum pro interpolato habeo; in singulis enim colis stili adsunt diversitates, quibus cum a primo monumento distinguitur, tum vero prohibetur, quominus uni aut alteri caeterorum auctori attribuat.

Primum quidem vocabulum אן suspectum est. De quo modo retulimus in capite praecedenti. Etsi hic autem simili modo ac in sexto monumento usurpatum sit, attamen ad eius scriptorem quominus nostrum referamus, uti Meyero placet (43), vetant reliquae dictionis proprietates. Sic כתב, *scripsit in libro*, cum על construitur, c. 13, quod cum in sexto monumento bis adesset, utroque loco secum ב habuit. Constructio rursus verbi נתן, c. 12, ביום תת יהוה את האמרי לפני בני ישראל, aliena est ab omnium eorum ratione monumentorum, quibus verbum illud in usu est; quod idem valet de constructione verbi אמר, c. 12, ויאמר לעיני בני ישראל. Vid. additam. ad p. 3 et 60, p. 4, 56, 57. A primi autem more abhorret usus verbi דבר initio pro אמר positi. In quarto et tertio ille obtinuit monumento. Vid. p. 3, 74, 90.

Si

(43) v. l. l. p. 355.

Si grammaticas spectes formas, a primo et a reliquis monumentis, quarto excepto, nostrum ea abit in re, quod duobus substantivis definitae notionis Articulum non praefixerit. Conf. c. 13 וידם השמש וירח עמר עד יקם גוי איבין. Vides vocabula ירח et גוי destituta articulo. Quae res autem definitae magis? Vocabulum גוי certissime nunquam absque articulo scriptum fuit. Qui quum voci שמש addatur, nonne etiam ex primi et omnium fere monumentorum ratione, ירח τῶ dandus fuerat? Similem a grammatica legibus deviationem vidimus in quarto monumento. Conf. p. 92. Altera discrepantia, et vero nostri proprietates in usu personalis Pronominis, pro demonstrativo, posita est. Conf. c. 13 הלא היא כתובה. Qua de re supra monere negleximus. Nunc vero quidem mitti posse caeterorum monumentorum consuetudinem putamus. Ad primi tamen cognoscendum morem, quippe propius huc pertinentis, quia medio in illo nostrum positum sit, conf. III: 10. IV: 6. IX: 20.

Caeterum observandum est, vix intelligi posse, si quidem haec scriptori primi tribuis monumenti, unde factum sit, ut colo 14 pro יהוה נלחם לישראל, non dixerit, יהוה אלהים. Plerumque enim hoc nomen addere solebat, si magnificentior Numinis mentio faciunda erat. Recesit aliquoties a more hoc suo. Fateor, et ipsi, quibus id locis fecerit, significavimus. Animadvertendum tamen Cap. X: 42, memoratis omnibus Israëlitarum victoriis, Deum pleno illo titulo appellari.

Quaenam nobis persuasum reddiderint, haec cola non a scriptore primi monumenti profecta esse, vides. Accedit quod subito narrationis filum abrumpant, qui facile restituatur, si his omissis, colon 11 et 15 coniungas. Si forte aliquis quarti monumenti hic quaerendum censeat auctorem, ob unam utrique communem grammaticae legis exceptionem, illi equidem non assentiendum putem, cum ob alias reliquas dictionis diversitates, tum ob argumentum plane alienum.

Caeterum doctissimorum virorum de hoc loco diversissimas referre ac iudicare sententias, quae tot fere sunt, quot capita, nostrum non esse putavimus, quibus hoc solum agendum videretur, ut quid ex dictione de scriptore innotuisset, in medium proferremus. Ex iis autem quae Meyer a. h. l. docuit, hoc praeclare observatum videbatur (54), non facile posse grandinem, quo hostes Israëlitarum interierunt, postquam in fugam coniecti essent, cum sole et luna, in coelo stationem tuentibus, in concordiam redigi. His enim lucentibus diem esse debuisse clarissimum, grandine vero cadente, tenebras obortas. Quam ob causam non verisimile videatur, eundem qui de grandine scripserit, simul quoque de sole et luna memoriam fecisse.

De origine loci denique ac interna constitutione animo haec atque illa versanti, admodum probabilis aliquando coniectura visa est, hominem, res Josuae gestas legentem, quas in libro Carminum, sive Sinceri malis, meminisset versibus celebrari, margini codicis, quem haberet, primum quidem haec adscripsisse verba: « Eo tempore factum est, ut Josua

« Jehovae diceret, eo inquam die, quo Jehova Am-
« ritas filiis Israëlis traderet; coram Israële autem
« locutus est.” Haec illum, pluribus quidem quam
opus esset. Quibus praemissis, ipsius carminis ver-
ba excitari: « Tu sol! prope Gibeonem consistas,
« tuque luna in valle Aialonis. Itaque constitit
« sol, stetitque luna, donec sese de hostibus suis
« ultus esset populus.” Iam iterum quae sequuntur
interpolatoris esse. « Nonne hoc in libro sinceri
scriptum est?” Tum vero pergere eum in carminis
versibus laudandis: « Sol autem mediis stetit in coe-
« lis, neque per integrum diem ad occasum propera-
« vit. Neque etiam antea aut postea ad hodierni in-
« star diei factum est, ut Jehova hominis vocem
« exaudiret. Jehova enim pro Israële dimicabat.”

Hoc itaque modo num fortasse res sese habue-
rit, in mentem venit. Quod vero saepius in hac in
disputatione me dicere memini: vere num cogita-
verim, id videant peritiores. Omnibus certe, quae
ad carmen retuli, verbis color et indoles inhae-
ret poëticus. Nostra autem si ad veritatem pro-
xime accedere videatur opinio, omnis de miracu-
lo, quod Josua orante contigerit, lis et contro-
versia est sublata. Quod enim grandioribus ima-
ginibus, sublimioribusque verbis a poëta depingi-
tur, id certe ad historicam dicendi rationem non
est detorquendum.



CAPUT OCTAVUM.

DE CAPITE XIV: 6 SQQ. SIVE DE OCTAVO
HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Etiam haec narratio, egregiam Calebis indolem ad vivum depingens, interpolamentum redolet, cum neque idoneo loco tradita sit, neque dictione conveniat ei monumento, in quo medio inveniat. De incongruo quidem loco satis nobis dixisse videmur capite primo. Illuc igitur ablegantur lectores. De dictione quid dicam nescio. Quae quidem non valde discrepat a primi monumenti, si, verbi causa, spectes usum verbi אמר, c. 6, 9, pro quo tertii, quarti aut septimi auctor monumenti fortasse scripsisset דבר; tum huius usum c. 6, 10, 12, porro locum, Gilgalem, ubi res facta esse traditur, c. 6. coll. X: 43; rursus Dei nomina c. 6, 7, 8, 9, 10, 12 ac Mosis c. 8, 11, phrasin המסין את לב העם, c. 8, coll. II: 11. V: 1. VII: 5, phrasin הארץ אשר דרכה רגלך בה לך תהיה, c. 9. coll. I: 3, phrasin הלך ישראל במדבר, c. 9 coll. V: 6; denique phrasin והארץ שקטה ממלחמה, c. 16 coll. XI: 23. Ad haec vid. p. 3, 4, 12 sqq. 18, 90, 108.

Quae convenientiae specimina, luculenta et gravia, considerans, vix scio, quid causae sit, cur dubitem, quo minus hanc narrationem primi monumenti adscribam auctori. Sed proferam quae

quæ impediunt. Primum est nomen Mosis, **אִישׁ הָאֱלֹהִים**, quod ceteroquin in toto libro non existat. Deinde solum in quarto monumento factum est, ut vocabulum **אֱלֹהִים** articulum reciperet. Vid. p. 102. Constructio porro verbi **עָוָב** c. 7 *re-tulit dictum alicui*, **וְאִשָּׁב אוֹתוֹ דָּבָר** quæ quarti est monumenti. Conf. p. 91. Sed tamen nostram, vigoris ac maiestatis plenissimam, Calebitributam orationem, ab auctore illius monumenti proficisci potuisse, non facile credam. Neque hic etiam Israëllem appellavit **עַם**; quod vocabulum hac in re solemne erat primo ac quinto monumento, insuetum vero non solum secundo, sed etiam tertio monumento, in quo narratio nostra legitur. Conf. supra p. 42, 62, 83, 103. Quid verosimiliter statuendum sit, dubito. Nam duo præterea in dictione nostri inveniuntur, quibus non a primo tantum monumento discrepat, verum etiam ab omnibus reliquis monumentis. Unum est Chaldaicum **הַמְסִי** pro **הַמְסוֹ**, c. 8. Alterum c. 16 legitur, quum de Kiriath Arbah dicatur: **הָאָדָם הַגָּדוֹל בְּעֵנִים הוּא**. Scilicet hoc tantum in loco *vir* **אָדָם** dicitur, pro quo ceteroquin per totum librum **אִישׁ** usitatum est. Quod exemplis demonstrare vix attinet. Illa autem si indefinite reddas vocabula: *erat vir magnus*, neque potius: *erat vir ille magnus*, tunc etiam in articulo exceptio a regulis insit necesse est, qualis, consuetudini primi monumenti contraria, in quarto locum habet. Malim autem posteriori sensu accipere, quippe quem ipsa laudatio hominis postulare videatur. Alibi

H

hu-

huius narrationis scriptor non recessit a grammaticis legibus. Quarum tamen exceptionum cum multiplex opportunitas esset, stilo saepius mutato, denuo singularem et hoc in libro extraordinariam scribendi rationem prodit. Quidquid autem iudices, hoc certissimum indubitatumque habeo, nostri dictionem cum capitum, inter quae locum suum habet, dictione nihil commune habere. Itaque ab aliena manu insertum est. Ex primo monumento excidere non potuit: nullum enim in eo lacunae, eiusmodi vestigium est, quae hac narratione possit suppleri. Cum quarto monumento unam et aliam formam aut vocem communem habet, sed utriusque narrationis indoles tantopere a se invicem distat, ut peculiarem utramque auctorem habuisse existimemus. A caeterorum monumentorum genere dicendi longe recedit. Quapropter, subductis calculis, nisi quis omnino de primi monumenti auctore cogitandum putet, nos quidem peculiarem nostrodandum censemus.

—O—

CAPUT NONUM.

DE CAPITE XV: 13—19. SIVE DE NONO

HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Hoc monumentum, etsi ad fata eiusdem pertineat hominis, quin etiam vitae eius eventum prodat, cum eventu, qui praecedenti monumento tradebatur, arctissime coniunctum, attamen et dictione, et ipsius indole narrationis, satis ab illo distinguitur. Eiusdem rei plane alia alio in loco traditio est, aut dicam potius, eiusdem rei diversae partes diversis in locis describuntur, atque ob oculos ponuntur. Dicendi genere satis differunt loca. Caleb enim nostro non dicitur הקוני, quo nomine nuncupabatur, XIV: 6, 15, sed tantum בן יפנה c. 13. De Kiriath Arba XIV: 15 ושם חברון לפני קרית ארבע האדם. Nostrum c. 13 קרית ארבע בענקים הוא. הגדול הענקים הוא. Illud quum dictionis, quae in primo monumento est obvia, imaginem plus quam aliud referret caeterorum monumentorum, longissime autem a tertii monumenti dictione, in quo invenitur, abesset, nostrum contra huic valde simile est. Quo pertinent בתוך, חלק, de medio populo, אל פי יהוה, quae habes c. 13; conferatur autem p. 75 sqq. Rursus ad discrimen nostri et primi monumenti hoc pertinet, capite decimo, in enarrandis civitatibus, quibus pe-

titus esse Josua dicitur, nomen civitatis, quâ devicta proficisceretur in aliam civitatem, semper diserte commemorari. Non ita noster c. 15, ויעל משם אל יִשְׁבִי דָבָר. Praeterea vero primi auctor dixisset אל דָבָר. Quod incolae urbis יִשְׁבִים appellantur, haec primo sed quoque tertio consueta ratio est. Vid. p. 5 et additamenta ad p. 77. Quocum sed simul etiam cum secundo monumento communem habet הָ, in fine secundae masculinae praeteriti personae pleonastice additam, c. 19 ונתתה לי. Vid. p. 62, 78. Haec igitur fere omnia pro ea quidem militare videntur opinione, a tabularum auctore conscriptam esse hanc nostram narrationem. Quae tamen opinio quominus pro vera habeatur tria impediunt dicendi genera, in his duo, quorum non in tertio non solum, sed neque etiam in ullo alio monumento exemplum invenitur. Primum est in constructione verbi נתן, *dedit*, hic quidem cum ל, uti ceteroquin in tertio monumento, coniuncti: c. 13, 16, 17, 19, sed semel c. 19, cum accusativo נתתני; de נתן vid. supra p. 3, 56, 77. Porro bis accusativi nota in hoc solum fragmento expressa est, ubi neque Articulus praefixus, neque affixum esset Pronomen, neque Genitivus sequeretur, aut ipsum Nomen esset proprium. Conf. c. 19 ויתן לה את גלות עליות ואת גלות תחתיות. Denique nota accusativi, cum his in collis ob sequentem Genitivum esset exprimenda, non expressa est, c. 19 ארץ הנגב נתתני. Hoc autem in tertio monumento nunquam factum est. Vid. p. 79. Quibus addenda constructio verbi לשאל cum כאת, c. 18 לשאל כאת אביה, qua qui-

quidem noster a primo haud dubie discernitur, Cap. IV: 24. IX: 14, sed quoque tertio non similis est. Nam cum semel in eo usurpetur שאל, XIX: 50, persona, a qua quid quaeratur, non expressa est. Sic sensim crescit numerus diversitatum. Quarum non magnopere augeri numerum putamus, iis rebus, quae de Hebrone, aut Kiriath Arbah, in tertio monumento traduntur. Locum innuo catalogi Levitici, XXI: 11, 12. Urbs illa cum pratis Levitis data dicitur; agri et suburbanum Calebi. Jam narrationum discrimen non magni faciam. Nam facile fieri potuit, ut, cum Calebi et ipsa civitas, et suburbanum initio essent tradita, postea, cum ad urbes ex quaque tribu Levitis cedendas ventum esset, — ex harum autem numero esset Hebron, — idem, qui prius, illam rem scripto mandasset, auctor nunc et alteram hanc deinde mandaret, nec tamen eam ob causam, quae antea scripserat, continuo aut deleteret, aut immutaret. At vero dictione duae hae narrationes diversae sunt. Ea solum notabo, quibus catalogus Leviticus distinguitur. ל נתן cum ל; ad nomen Hebronis בהר יהודה additur; ante accusativum, sequente genitivo, nota exprimitur ואת שדה העיר נתנו. Quae cum ita sint; de novo in hanc abeundum videtur sententiam, hoc quoque fragmentum non ab auctore tertii monumenti, nedum caeterorum scriptum esse.



CAPUT DECIMUM.

DE CAPITE XXIV: 29 SQQ. SIVE DE DECIMO
HUIUS LIBRI MONUMENTO.

Quae cola huc pertinent etsi praecedentia apto ordine sequantur, aequae tamen minus ad monumentum quintum, atque ad reliqua, referenda sunt. Dictio enim in nonnullis ab omnium dictione diversa est. Jam prima verba manum produunt huc usque incognitam: ויהי אחרי הדברים האלה. Nunquam simili modo ad aliam rem enarrandam transitus factus est, sed vel simpliciter Vau Copulativa aut Conversativa, vel vocibus בעת ההיא, uti in primo monumento, vel denique vocabulo אז. Qua de re ad sextum iam monuimus monumentum. Vid. p. 106. Deinde Josua semel, c. 29 insolito nomine appellatur יהושע בן נון עבד יהוה. Simplex ceteroquin narratio, c. 30, congrua est stilo primi monumenti, at incongrua constructio verbi עשה, *bonum contulit* cum ל pro עם, c. 31. ceteroquin ל in quarto adfuit; vid. p. 4, 90; quocum tamen nostri dictione fragmenti ne minimam quidem habet convenientiam. Porro in hoc solum ex omnibus monumentis constructio obtinet verbi pluralis cum substantivo singulari, quod non collectivae est notionis. Conf. c. 32, והיה—השדה. Alia non exstat a grammaticis regulis aberratio, neque igitur

tur illae etiam quas alteri huius capituli parti, si-
ve quinto monumento, proprias esse vidimus;
unde itaque huius et nostri diversitas satis aperte
patet. Denique Eleazar non antea eo nomine ap-
pellabatur, quo c. 33 appellatur, אלעזר בן
אהרן. Duo Codices Kennicottiani, Syrus et
Arabs addunt הכהן.



PARS POSTERIOR.

DE

TEMPORE, QUO DIVERSI DIVERSORUM HUIUS LIBRI MONUMENTORUM VIXERINT SCRIPTORES.



Haec disputationis nostrae pars altera, alterâ longitudine valde impar erit. Quod in limine monendum est, ne casui et imprudentiae tribuatur, quod necessitate et consilio factum est. Habemus enim disserendi materiam, et ubertate, et varietate, multo tenuiorem quam antea, qua propter etiam dicentis oratio tenuior et brevior sit necesse est.

§ 1.

De auctore monumenti primi.

Tempore rebus a Josuâ gestis aequalis fuisse videtur monumenti primi auctor. Quam esse veram sententiam, complura per totum dispersa monumentum testimonia declarant. Ad quae referimus accuratissimam, Capite III: 16, loci, ubi Jordanis aquae, per quas Israëlitae medias transisse feruntur, scissae sunt, descriptionem. Quam rem serioris aevi scriptor vix attigisset, nisi forte ex fonte hausisset, ex eodem tempore, quo res accidissent, repetendo. Hoc vero de nostro loco, non

valet, quandoquidem universum unum esse monumentum verosimillimum sit. Neque etiam colon istud pro interpolato haberi potest. Etenim non modo cum tota historia arcte coniunctum est, sed vocabula quoque monumenti totius scriptoris sunt. Illud ויעמדו, c. 14, 17. נר אחר coll. iisdem colis. המים הירדים coll. c. 14, 17. תמו נכרתו coll. c. 14, 17. IV: 1.

Secundum illius aequalitatis signum positum est in Trans-Jordaniticorum numero, diligenter tradito, IV: 13.

Tertium in die, quo transitus fluvii factus, similiter accurate notato, IV: 19.

Quartum, idque efficacissimum, in ipsius certissimo testimonio scriptoris, se adfuisse transitui, se unum ex Israëlitis fuisse, qui transiissent Jordanem. Sic enim loquitur, V: 1. עברנו את הירדן. Neque dubitandum est quin textus haec lectio marginali, עברם, quam Codd. quidam Mss., Graecus Alexandrinus, Vulgatus et reliquae versiones antiquae receperunt, praeferenda sit. Satis enim eruditos inter constat viros, difficiliori plerumque faciliorem substituisse Masorethas lectionem, aut phrasi minus decorae magis decoram, aut insolentiori magis solitam. Quarum nullam esse idoneam mutandae lectionis causam, vix notare attinet (1). Bertholdus hac in re nobiscum facit (2). Quum itaque ipsum auctorem ha-

(1) Conf. Gesenius, Geschichte der Hebr. Sprache und Schrift, p. 51, 75. Lehrgebäude § 30. p. 122, 123. Muntinghe, Brevis expositio Critices librorum V. T. § 29, 35, 54.

(2) v. l. l. § 245. not. i.

habeamus oculatum sese rerum testem confitentem, quid est quod amplius in illum inquiremus? Nisi reiiciendum potius disertissimum signum est, quo tutius praeiudicatis opinionibus indulgeatur.

Quintum nobis testimonium est in scriptoris assertionem, Rachabem, ad eum usque diem, quo Hierichuntem expugnatam scriptis traderet, medio in Israële habitasse. Conf. VI. 25. Ad quae Eichhornius (3). « postquam Rachabi et cognatis
« semel pax data esset, inquit, et simul concessum mansionis inter Hebraeos ius, quis omnem
« domum paucis annis post emortuam putet, aut
« in exilium abactam? » Sed non video equidem quaenam huic argumento inesse vis possit? Esto sane! Miranda videatur ista commemoratio! Quid vero? Facta est! Neque vero etiam Rachab et cognati superesse dicuntur, ut putat Eichhornius; quae res fortasse non nisi post multorum annorum decursum notatu digna videri possit; sed sola mulier usque in eum diem medio in populo habitasse dicitur. Quod si vel maxime ita se habeat, quid tandem, dicat quis fortasse, quaeso, caussae excogitari potest, cur necesse fuerit, ut res ista ad universae gentis notitiam perveniret? Quid, ut tribubus etiam, quae sedes procul a domo Rachabis acceperant? — Quid? nonne si viginti aut triginta, post eversam Hierichuntem, annis haec scripta sunt, hominum, ea aetate viventium, interfuit, ut de Rachabis sorte essent certiores? Quis enim alius in Canaanis obpugnatae historia tanti fuerat momenti? Sed nolumus his amplius im-

(3) Vid. l. l. § 447. p. 470.

immorari. Hoc tamen unum addatur necesse est. Alterutrum esse verum oportet: aut impostor haec scripsit, aequalem se esse gestarum rerum praese ferens, cum tamen non esset: aut re vera scripsit aequalis. Prius ut statuamus, nihil est quod suadeat. Quidni posterius igitur statuamus? — Caeterum Wettius(4) et Bertholdus(5) Eichhornium sequuntur. Wettius quidem ad rectam loci intelligentiam respici iubet Cap. VII: 26. X: 27. Quibus vero de locis infra dicendum est.

Quae cum tot numero sint aequalis aevi indicia, nullum posse amplius hac de re superesse dubium arbitror. Neque tamen committendum est, ut aliqua ex parte, quoad eius fieri possit, deficiat causae probatio. Quapropter, age, paullo diligentius praecipuos audiamus viros, qui a nobis dissentiant.

Ac primum quidem ea obmovent loca, quibus aliquid eadem remansisse dicitur conditione, *in eum usque diem*, quo auctor scriberet(6). Breves hac de re esse possumus, quippe quae iam semel attingenda fuerit. Itaque verbo dicatur, hanc eorum universe esse opinionem, a verosimilitudine alienum esse, aequalem rerum narratarum hoc monuisse aequalibus; hominis illud fuisse, qui multa post saecula viveret, maioremque fidem dictis conciliare studeret(7). Nos contra ex ipsis illis verbis, uno certe in loco, effecimus, scriptorem narratis rebus ipsum interfuisse.

De

(4) I. I. § 170.

(5) I. I. § 244, p. 854.

(6) Vid. I. I.

(7) Vid. imprimis Eichhornius § 447, et Vater I. I.

De hoc, quae diximus, non repetenda sunt. Reliqua vero, loca, IV: 9. V: 9. VII: 26. VIII: 28. IX: 27. X: 28, singula separatim tractanda sunt.

Annotatio illa igitur Capite IV: 9 facta de lapideo in Iordane erecto monumento, tantum adest ut signum esse recentioris aetatis oporteat, ut potius nostrae faveat opinioni, scriptorem fuisse rebus gestis aequalem. Nonne enim facile fieri potuerat, ut illi, sine compagine verosimiliter coacervati, lapides, tumido fluvii cursu abriperentur et huc illuc ferrentur? Quod cum de monumento Gilgale condito non metuendum esset, idcirco scriptori non opus visum est, ut etiam illud adhuc exstare doceret. Conf. IV: 20. Quod itaque hoc loco sileat, id noni coli luculentius declarat authenticam. Egregie enim Meyer, quo loco de duplici hoc agit monumento, (8) duorum excitans celeberrimorum peregrinatorum de Jordane narrationem; Maundrellii dico et Beloni, quorum ille ingenti volvere flumen aquas impetu testatur, hic vero mare inter Genezareth et mare Mortuum, lenem esse ac placidum Iordanis cursum; egregie, inquam, vir doctissimus, « quem horum, inquit, audiamus? Quidquid vero sit, fluvius tamen, quo » tempore omnem ripam inundaret, coll. Jos. III: » 15. IV: 18, rapidus tumidusque fuisse videtur.”

Simile illius aequalitatis argumentum cum ex Cap. IX: 27 petatur, hoc de loco nunc quidem monendum est. Quod enim Gibeonitae servitiis

ad-

(8) p. 341.

adhiberentur vilissimis, in eum usque diem, quo factum ab auctore memoriae mandaretur, id posterorum causa non magis, quam aequalium, qui rebus istis affuerant, commemorare operae pretium erat. Etenim processu temporis, quaeque tribus quum suam occupavisset ditionem, adeoque per totam Canaänem dispersus populus esset, commercium autem diversas inter tribus ut in recens conditâ fieri solet civitate esset tenuissimum, omnium tamen Israëlitarum intererat, ut certissime scirent, Gibeonitas etiamnum fraudis poenas dare, neque exemptos esse servitio homines, quos ultimo liberari supplicio gens universa aegerrime tulerat.

Caeterum de reliquis locis dandum putamus viris clarissimis, quod aequalem eiusmodi quid non retulisset. Quid vero impedit quominus illa pro interpolatis verba habeamus?

Et sanequam de interpolamento ut cogitemus, suadet iam aliunde satis probatum scriptoris aevum rebus narratis aequale. Confirmantur autem illa, si singula loca accuratius inspicias. Nisi enim capite V: 9 ויקרא impersonaliter accipias, quod facere vetat Arabs, postrema verba nullo apto cum praecedentibus nexu copulata sunt, ita vero posita, ut verbum desideretur. Possit quidem praegnans loci constructio accipi; quod vero quominus fiat prohibet locus, ut videtur, authenticus, Cap. IV: 9, quo quidem, quod in nostro desideratur, verbum, expressum est, ויהי שם. Itaque ipsa nostri interpolatio pro illius authentia faciat. Ob eandem causam verba

haec illa reliquis quoque in locis, VII: 26. VIII: 28. X: 28, interpolata videntur. De constructione praegnanter si cogitari nequeat, quid tandem sibi scriptor voluisse videatur, qui Israëlitas lapideum erexisse acervum dicat, aut ingentia in os antri volvisse saxa, eum usque in diem, quo istas res scripto mandaret? Maiorem vim autem inde habet interpolamenti suspicio, quod Graecus illa vocabula duobus in locis omiserit, capite quinto et septimo. Quum vero vallis Achor deinde ad scriptoris usque tempora eo nomine appellata esse feratur, haec etiam verba pro spuris habenda sunt. Neque enim opus erat ut ipsius facti aequalibus atque testibus tale quid traderetur.

Denique ad hanc classem referuntur verba: **כי חצור לפנים ראש המלכים האלה** XI: 10. Quid vero causae est cur haec ab aequali non memorari potuerint? Quodsi, ut hoc rursus utar, viginti annis post scripsit, quam Hazor deleteretur, nonne ex Israëlitis, tum viventibus, multi, esse potuerunt, qui omnium ac singularum Cananiticarum fata urbium non accurate tenerent, quique nescirent, Hazorem principatum eorum tenuisse regnorum?

Est et aliud praeterea locorum genus quod, qui aliter sentiunt, in rem suam convertere solent. Nonnulla innuimus nomina regionum aut urbium, quae, uti apud nostrum leguntur, Josuae aetate nondum in usu fuisse contendunt. Quid, sic Eichhornius (9) ac Wettius (10) loquuntur,

Is-

(9) § 447. (10) § 170.

Israëlitis, quo tempore Canaän primum in possessionem gentis pervenerat, innotuit de monte Judae et Israëlis? Quibus tamen non assentitur Bertholdtus (11). Recte enim unde factum rogat, ut regnum decem tribuum, scisso imperio, statim *Israëlis* diceretur, nisi iam antea moris fuisset, ut tribus a Judaica diversae nomine *Israëlis* distinguerentur? Et testimonia exstant ante Davidem re vera a reliquis tribubus distinctam fuisse Judaicam. Cum enim statim, post obitum Josuae, belli gerundi principatus Judae defertur, tum vero postea in certamine Beniaminitico (12). In Jebusitico autem atque Amelecitico proelio Judae exercitus separatim ab Israëlitarum copiis recensetur (13). Quibus de caussis in Bertholdti sententia acquiescendum putamus; idque ideo maxime, quod discriminis istius vestigia non sub iudicibus demum, vel sub regibus etiam, mox vero post Josuae aetatem conspiciantur. Bertholdo Ackermannius favet novissimus Jahni introductionis epitomes editor. Uterque vero causam quaerit discriminis in primogeniti iure, Judae a patre dato (14), unde factum sit, ut, quemadmodum diu antea milites Judae ab Israëlis discernerentur militibus, ita montes Judae a montibus Israëlis.

Hierosolymorum mentio etiam, XII: 10. X: 1, recentiorem scriptoris aetatem prodere dicitur, hoc enim nomine illam urbem certissime nondum

(11) § 246. p. 860.

(12) Jud. I: 2. XX: 18.

(13) 1 Sam. XI: 8.

(14) Vid. Ackermann. p. 177, 178.

dum Josuae tempore cognitam fuisse. Haec Eichhornius (15), Bertholdtus (16), Wettius (17). Sed fatendum est, mihi non persuasum esse, quod Bertholdtus ait, solummodo nomen: *urbis Jebusitarum* (18), ei inditum fuisse, quo tempore Jebusitae urbem occupatam tenerent. Ita sane appellabatur. Non dubium est. Unus hoc docet locus. Sed quâ de causa tandem reliquis locis negatur, ut doceant id, quod vere docent, Hierosolymorum nomen iam Josuae aevo in usu fuisse? Quid? quod iam antiquissimâ aetate fuit cognitum, uti ex Geneseos Capite XIV: 18 haud dubie constat, neque ipse dubitandum censet Bertholdtus? Nos autem sententiae nostrae patronos ex recentioribus Jahnum habemus et Ackermannium.

In recentioris aevi notis etiam tabernaculi sacri nomen refertur, *בית יהוה*, VI: 24 et *בית אלהי*, IX: 23 (19). Recte vero Bertholdtus docuit (20), illud iam in Pentateucho exstare nomen (21), Arabes autem omnia sua sic appellare solere tentoria, unde a stilo non alienum esse historico pateat. Neque etiam ob thesauri sancti mentionem, Capite VI: 19, de templo Salomonis cogitandum esse. Namque tabernaculum etiam suum habuisset

(15) l. l.

(16) p. 853.

(17) l. l.

(18) Coll. Jud. XIX: 21.

(19) Vid. Eichh. § 447, p. 373, § 450, p. 395.

(20) p. 864.

(21) Exod. XXXV: 7. Dent. XVIII: 19.

se thesaurum (22), templum Salomonis autem non aliam ob causam conditum esse, nisi ut Dei domus in certa ac immota sede poneretur.

Wettius (23), collato 2 Sam. XXI: 2 sqq. dubiam esse fidem putat Gibeoniticae historiae, Cap. IX traditae. Quae tamen collatio nobis quidem huius probare videtur veritatem. Patrum enim a Gibeonitis cum Israëlitis foedus illo loco diserte respicitur, quod dicitur violatum fuisse a Saulo. Tam procul abest igitur, ut nostra de aetate auctoris sententia illâ convellatur aut labefactetur narratione; ut multo maiorem ab ea vim et auctoritatem accipiat.

Valde antiquo tempore hoc monumentum confectum esse recte Eichhornius ea de causa putat, quod Sidon, Capite XI: 8, *magna* dicatur. Fuit enim potestate clara et opibus, diu ante quam Tyrus Sidonis colonia, nominis famam adeptam esset. A primogenito Chanaänis filio erat condita. Incolae autem Homero iam πολυδαίδαλων nomine celebrantur (24). Infra huc revertendum erit.

De repugnantia denique historica, quam Wettius in Capp. X, XI et XII notavit, coll. Jud. I, iam in priori Parte disputavimus. Quapropter ea, si placet, lectores respiciant.

Quae cum ita sint, nullam superesse putamus difficultatem, quae impediatur, quominus aequali rerum gestarum scriptori primum attribuaturnu-

(22) Exod. XXXV: 7. Deut. XXIII: 19.

(23) Vid. l. l.

(24) Iliad. XXIII: 743.

numentum. Neque enim, quum hac de re testimoniiis constet certissimis, rebus, dico, in facto positis, philosophematibus aliquid amplius dandum putato, aut illorum propterea fidem in dubium esse revocandum, quod res factas esse asseverent, quas, quo modo fieri potuerint, non bene intelligamus. Itaque ingenue fateor, me ab eorum virorum partibus minime stare, qui in eventuum praeter solitum rerum ordinem factorum narrationibus, quales in his capitibus plures exstant, quasque illi mythos vocant, qui in illis, inquam, argumentum cernant gravissimum, ut scriptio senioris aevi esse statuatur. Quod semel nunc dico, neque postea repetam, si quando miracula in alio etiam monumento occurrant, quod ceteroquin ab aequali Josuae scriptum videatur. Hoc enim firmiter persuasum mihi habeo, idque cum sana convenire putatione, quaecumque res historice vera, certa ac indubitata sit, veritatem eius convelli nullis posse aut everti ratiociniis. Cum itaque huius monumenti auctor non solum eodem tempore vixisse videatur, quo res ab eo conscriptae factae sunt, sed etiam illis ipse interfuisse, de mythis, quo sensu illa vox a viris doctis vulgo usurpatur, cogitari non potest. Miracula autem narranti fides danda aut neganda est. Nostro cur negetur causam non video, neque enim sese in reliqua sua historia indignum fide praestitit, nec de animi eius integritate ipsi contrariae dediti sententiae viri umquam dubitaverunt. Fides itaque detur.

Ex omnibus autem quae de auctore diximus satis superque constare putamus, Josuam ipsum
non

non fuisse auctorem. Cuius rei ne signum esse nullum dicam, contrarium potius, ex iis certissime locis effici dixerim, quae auctorem post Josuae obitum vixisse docent.

§ 2.

De auctore monumenti secundi.

Perpauca sunt quae de illo dici queant. Quin nihil fere habeo nisi quod nullam proferat eius scriptio indicium, quod prohibeat quominus aequali rei narratae scriptori, aut qui certe non diu postea vixerit, tribuamus. Non dubitandum, quin ad scribendum se contulerit, postea quam primum monumentum, quod dicimus, in lucem prodisset. Hoc non solum inde efficitur, quod illius dictionem imitet, sed quod etiam nonnulla loca ob oculos habuisse videatur. Unde iam sequitur de Josua ipso tamquam auctore non posse cogitari. Geographicas notitias, Cap. XIII: 2—13, verosimiliter ex antiquissimo et germano hausit fonte. Diversitatem a Cap. XI, supra notavimus. Cetera vero accuratissime cum iis conveniunt, quae Cap. XII memoriae produntur.

§ 3.

De tertii monumenti auctore.

Quae in hoc monumento traditur Palaestinae divisio, eam vir clarissimus Wettius (25), ut et Has-

(25) l. l. § 69.

Hassius, quem excitat, neque Josuae iussu esse factam censet, neque postea publice usurpatam, ubi de partitione terrae ageretur. Qua quidem opinione ab Eichhornio recedunt ac Bertholdto. Horum enim virorum ille germanam tabularum originem atque aetatem vetustissimam comprobari ait novissimis itinerum relationibus, quippe quibus Palaestinae descriptiones notitiaeque geographicae, hoc monumento exhibitae, pulcherrime confirmentur ac stabiliantur (26). Quod ex duobus, a Eichhornio laudatis, auctoribus, luculenter perspicitur. Brunsium dico, in opere, quod *Palaestinae* nomine inscripsit (27), et Hamelsveldium in primis, nostratem, in hujus *Geographia sacra*, tomo quarto, ubi huius libri geographiam consulto exposuit. Quos scriptores excitasse sufficiat, quoniam hic certe omnium teritur manibus; quo itaque describendo et excerptando, nullo lectorum commodo, a proposito longius, quam par est, deducamur. Bertholdtus autem (28), in eo signum videt authenticae tabularum, quod, quantum quidem novimus, vix ulla umquam gravior de finibus tribuum contentio exorta sit; quae res, si multiplicia, acerbissimaque harum consideres odia ac simultates, hoc ex fonte deducenda videatur; quod singularum ditio- nis partitio antiquitus Josuâ facta auctore, scriptis consignata et custodita fuerit.

Rec-

(26) l. l. § 452. p. 399.

(27) p. 32.

(28) l. l. § 245.

Recte haec illi quidem. Wettius autem, Eichhornii sententiam non curans, solum refellit Bertholdtum, quem ipsum respicit. Cui autem innititur fundamento, indicia non exstare aperta, ex quibus effici possit, tabularum in re publica fuisse usum aliquem, illud nullius pretii habendum putamus, nisi simul etiam ostendatur, istam aliquando fuisse rerum Israeliticarum conditionem, in qua tabularum vis et auctoritas sese evidenter manifestare potuisset. Quanti vero a posteris habitae sint, ex eo luculenter effici putamus, quod in tabulis Chronicorum genealogicis, libro primo, capite IV: 32. VI: 62, coll. XIX: 6, 22, nostri excerpta inveniantur. Quae autem utrumque librum inter exstat, varietas, ea inde fortasse originem repetit, quod Chronicorum auctor aliis quoque fontibus usus sit (29^a). Tabulas nostri nonnullis in locis esse corruptas, id nemini mirum videri potest. Quasi vero mendae, quibus libros, etiam multo senioris aetatis, a praeclarissimis elegantissimisque conscriptos hominibus, refertos esse videamus, a codicibus averti ac repelli queant, nominum geographicorum plenissimis, antiquissimo autem tempore, ab auctoribus, in medio armorum strepitu, compositis. Quae autem vitio loca laborant, ea Eichhornius (29^b) et Bertholdtus (30) notarunt: XV: 32, 37, 59. XIX: 15, 30, 38. Summa urbium, primo in loco, non convenit cum urbium quae commemorantur numero. In secundo ab Alexan-

(29^a) Vid. Eichh, § 453. p. 410.

(29^b) § 453. p. 114.

(30) § 246. p. 869. not. 14, 15.

alexandrinis exhibetur series, cuius in Hebraico exemplo ne vestigium quidem. Tertii sibi non constat contextus. Denique, ut Eichhornius ait, si accuratissime sequamur Masoram, Cap. XXI: 36, 37 quoque periit. Quo de loco repertorium conferatur literarum biblicarum et orientalium (31), Rossiique variae, a h. l. lectiones.

Eichhornius et Bertholdtus cum tabularum authenticam magni faciant, multisque verbis extollant, solum tamen innuunt topographicas, quas comprehendunt, notitias, ipsas vero tabulas, qua forma et habitu ad nostra tempora pervenerunt, non secus ac Wettius, et qui ad huius propius accedunt opinionem, recentiori adscribunt aetati. Itaque opinari videntur, harum auctorem e publicis hausisse tabulis scribendi materiem; quam vero inde depromisset, eam ad suam composuisse rationem et arbitrium. Quod autem ita sentiant, id inde ortum est, quod in serioris aevi signa se incidisse putent, quae prohibeant, quominus tabulae brevioresque, quibuscum cohaerent, relationes, ab aequali Josuae compositae et conscriptae sint. Qua in re itaque cum et illi duumviri, et Hassius, et Wettius conveniant, in eorum sive singulorum sive omnium dubia inquirendum est, ut nobis de rei veritate, quoad eius fieri possit, certissime constet.

Eichhornius igitur et Wettius (32), Cap. XV: 63 scriptum putant post, Bertholdtus vero (33)
pau-

(31) T. XIII. p. 63 sqq.

(32) Vid. Eichhornius l. l. § 447. p. 371. not. d. Wettius § 167. not. b

(33) l. l. § 246. p. 865.

paulo ante Davidis aetatem. Wettii adversus hoc colon dubium duplex: alterum, quod ei commune est cum Eichhornio, nunc primum explicandum; deinde vero alterum, quod ei soli in mentem venisse videtur. Eichhornius igitur et Wettius statuunt, Jebusaeos dici non potuisse una cum Judaeis habitasse Hierosolymis, nisi postquam ipsi, arce superiori a Davide captâ, adhibito ritu circumcisionis, illius rei copiam ab ipso rege impetravissent. Nam ante hoc tempus Judae tribum oppugnasse quidem Hierosolyma et incendio delevisse, sedem vero in ea urbe non collocasse. Hoc Beniaminitarum fuisse, quorum media in ditioe Hierosolyma sita essent. Beniaminitas, ut pro bello pace fuerentur, quietam dedisse Jebusaeis una cum ipsis mansionem. Cum autem illa Judaeorum et Jebusaeorum societas durasse eum in diem dicatur, quo auctor scriberet, ideo diu post Davidem scripsisse. Recte vero Bertholdtus de Davidico tempore ideo non cogitandum putat, quod ob paucissimos, a Davide superstites relictos, Jebusaeos, haud dici posse videantur Jebusaei una cum Judaeis habitasse Hierosolymis. Quam cum non pluribus explicuerit sententiam, addere mihi liceat, unum esse tantum vestigium, ex quo appareat, Jebusaeos remansisse Hierosolymis. Angelus Dei, cum ob Davidis impietatem regni cives percuteret, substitisse ad aream Aravnae *Jebusitae* dicitur. Haec unica est de Jebusitis inter Judaeos habitantibus traditio. Ipsis vero in locis, ubi Hierosolymorum, a Davide captorum narratio traditur, nihil prorsus

sus de eiusmodi re relatum est. Merito igitur concludi hinc posse putamus, dicta in loco Josuae ad Davidis aetatem minime pertinere. Quae autem illuc spectant loca haec sunt. 2 Sam. V: 7. XXIV: 24. 1 Paral. XI: 8. Neque illud etiam ex laudatis locis perspicimus, arcem solam a Davide captam fuisse, relictâ nimirum in potestate Jebusaeorum urbe, quam incoluissent. Joab enim, in loco e Chronicis excitato, reliquam urbis partem renovasse dicitur. Reliquam igitur partem intelligimus ipsam urbem, quae hoc nomine ab arce distinguitur, quam rex ipse teneret. Ne autem addam, de circumcissione Jebusaeorum ex his locis nihil innotuisse, hoc solum animadvertatur, falli Eichhornium, cum de Davidis tantummodo tempore sermonem esse nostro in loco posse contendat.

Multo primo quidem obtutu graviorem, multoque difficilius dirimendam Wettius colo isto litem intendit. Adversari enim huic putat nostrum, Capite XVIII: 28, et Judicum librum I: 8, 21. Horum vero locorum eam esse puto rationem, ut unus alteri explicando inserviat. Non potuisse posteros Judae Jebusaeos expellere Hierosolymis, neque funditus delere, nostro loco traditur. Hierosolyma autem, etsi ad Beniaminiticam ditionem pertinerent, tamen a Judaica tribu oppugnata fuisse, nemo mirabitur, qui ex ipso Judicum libri capite primo acceperit, principatum belli Judae divinitus fuisse delatum, quae tribus Dei mandato accepto, Simeonis auxilio, plurimas Palaestinae civitates, quae nondum devictae essent aut ruc-

sus in hostium pervenissent potestatem, bello aggressa est atque evertit. Quod accidisse Hierosolymorum incolis, c. 8 proditum est, quibus interfectis, urbs ipsa flammis tradita dicitur. Quam Judaeos nihilominus tamen cum Jebusaeis incoluisse, id duplicem ob causam verosimiliter habuit locum. Quod enim Judaei, Hierosolymis obpugnatis, deinde rursus ad aliarum obsidionem urbium proficiscerentur, uti c. 9 narratur, non continuo inde sequitur, ut Eichhornio visum est, Hierosolyma ab iis plane fuisse derelicta. Quasi vero non militum praesidium ibi collocari potuerit, qui, postquam deinde ad sedes suas reliqui reverterentur Jebusaei, pacem cum iis inire coacti fuerint, ut vitam suam tuerentur. Hi igitur urbem incoluisse una cum Jebusaeis recte dicantur. Quibus deinde alii fortasse plures ex tribu eorum accesserunt; quod facile fieri poterat, cum finitima esset Hierosolyma Judaicae ditionis civitas; coll. Jos. XV: 8. Sic igitur Judaeis urbem occupantibus, quae proprie ad Beniaminiticam tribum pertinebat, deinde accidisse videtur, ut ex Beniaminitis quoque nonnulli sedem suam in ea figerent, cuius tamen incolas veteres plane expelli vi et armis vix posse viderent.

Ex hac igitur interpretatione loca ista facili negotio conciliantur. Illam coniecturis partim inniti, fateor. Neque tamen istiusmodi illae esse videntur, quae ab historica verisimilitudine abhorreant. Quae enim hic illic sparsa sunt, historiae testimonia, ea, talem rerum fuisse conditionem ac formam, haud dubie imitant

atque declarant. In temporum horum antiquissimorum historia, maxima et evidentissima factorum eventuumque certitudo expectari non potest. Non mirandum est, si sibi contrarii atque oppositi videantur auctores, non continuo ad eiusmodi diversitatem et discrepantiam offendendum, potius vero quaerendum, num collatis, quibus pepercit iniuria temporum, notitiis, adversariae istae componi possint opiniones. Caeterum, quam attulimus, locorum interpretationem, Bertholdto maximam partem debemus (34), uti ex loco laudato satis perspicitur.

Cum itaque noster historicae fidei non repugnet, nulla causa est cur fides oculato rei narratae testi atque aequali non tribuatur, nisi, cum omnibus illis doctissimis Germaniae viris in verbis coli ultimis inesse serioris aevi indicium censeatur. De quibus eadem animadvertenda puto, quae supra de uno alterove, in monumento primo, simili loco: Israëlitis, quorum procul ab Hierosolimis sedes erat, non supervacaneam fuisse eiusmodi annotationem. Neque enim verisimile videri, mutuum tribuum inter se consuetudinem atque commercium, antiquissimis illis temporibus, valde frequens fuisse. Haec igitur de hoc loco sufficiant. Unde factum sit, ut Jud. I: 21 de Beniaminitis eadem plane sint usurpata vocabula, quae nostro loco de Judaeis, ea de re infra dicetur, ubi in noni et decimi monumenti auctorem erit inquirendum.

Porro scribi ab aequali Josuae non posse conten-

(34) p. 886 not. 1.

tendunt cap. XIX: 47 (35). Lain enim post obitum Josuae a Danitis captam fuisse et occupatam, quemadmodum in Judicum libro prodatur. Conf. Cap. XVIII: 19. Illi quidem vere si dicerent, non tamen continuo inde sequeretur, totum monumentum ab auctore recentiori ortum esse. Colon enim istud procul dubio ad interpolamenta referremus, si quidem caeterae maiores monumenti partes aequalitatis cum Josuae temporibus signa offerrent. At neque ad interpolationem confugiendum est, neque hunc ob locum reliqua scriptio recentiori adiudicanda aetati. Illa enim, quae agitur, historia non pertinet ad serius aevum, sed haud ita multo post mortuum Josuam accidit. Quod clarissime inde apparet, quod Pinehas, Eleazaris filius, summus dicatur sacerdos fuisse, Cap. XX: 28. Quod enim hoc loco narratur factum, id ad idem tempus pertinet, quo Lais oppugnata est. Utrumque enim iis accidisse diebus dicitur, quo rex nondum esset, quisquis vero pro arbitrio viveret. Conf. XVII: 6. XVIII: 1. XIX: 1. XXI: 25. Pinehas num in locum Eleazaris successerit, vivente an mortuo Josua, id, quantum sciam, non constat. Hoc vero constat, id, quod Pinehae aetate factum est, ab homine, qui rerum a Josua gestarum, testis fuisset, conscribi pulcre potuisse. Qui si adhuc viginti post Josuam, vel triginta etiam annis, vixerit, nescio cur tamen illius aequalis dici non possit. Pinehas etiam fuit aequalis. Nam in lite de altari, a Trans-Jordaniticis erecto, pontificis tene-

(35) Eichhornius § 447. p. 375. Wellius § 167.

net partes. Atqui id temporis Josua; ob nullam huius factam commemorationem, fatis iam functus fuisse videtur, litem istam vero non diu paullo post coortam fuisse quam Trans-Jordaniticis dimisisset, totius habitâ narrationis ratione, nulli dubitamus.

Bertholdtus non alienus est a nostra sententia. Ea enim aetate rem factam esse putat, quae Josuae mortem et Othniëlem iudicem intercessit (36). Hic autem quadraginta post obitum Josuae annis floruit (37).

Wettius etiam nobiscum facit, dubitanter tamen, ut solet, cum non satis gravem esse putet genealogiae auctoritatem (38). Conferatur etiam Iosephi Archaeologia et Carpzovii Introductio, quas Wettius in rem nostram excitavit (39).

Neque etiam in vocabulis, **שׁ הַיִּים הַזֶּה**, XVI: 10, recentioris aetatis indicium est. Unius civitatis mentio fit, cuius fata vix credas per totam cognita fuisse Canaänem, adeo ut non abs re esset, breviter eius meminisse. Etiam recte Eichhornius, ad hunc locum, quod Canaänitae tributum solverint, inquit, ut sedes, in quibus habitarent, tutas haberent, quid quaeso mirandum est? (40)

Cum igitur nullum in hoc monumento signum in-

(36) p. 877.

(37) Vid. Eichhorn. p. 450 not. 4.

(38) § 172.

(39) Archaeol. V: 2, 3. Introd. p. 189.

(40) § 447. p. 375. not. 4.

inveniatur, ex quo vel aliqua cum specie probabilitatis efficiatur, auctorem eius Josuae aequalem esse non potuisse, huiusmodi signum nemo, opinor, in urbe Beëroth positum putet, urbes Beniaminicas inter Cap. XVIII 25 relata, quibus Sauli demum tempore fuit adiudicata (41). Sic tamen Wettius (42). Quidni vero Bertholdto calculus adiciatur, coniecturam ab Eichhornio prolatam amplectenti, Beëroth in illa, Josua auctore, factâ partione, re vera Beniaminitis contigisse, neque tamen prius quam cum Saulus regnum adeptus esset, in eorum pervenisse potestatem.

Quod Cap. XVI: 2 memoratur, oppidum, Luz, id Wettius idem esse putat cum nominis huius urbem, quae Jud. I: 16 ab Hethita condita esse dicitur. Recte vero docuisse videtur Eichhornius (43), cui calculum adiicit Bertholdtus, Hebraica, *מביתאל לוז*, esse reddenda (44), *a Bethele in Luz*, quemadmodum Syrus, Arabs, Chaldaeus reddiderunt. Quod si verum est, non fieri potest, quin alia urbs, Luz dicta, innuatur. Ea enim, quae in Iudicum libro memoratur, longius a Bethele sita erat, quam cuius in hac finium descriptione mentio esse posset. Wettius etiam urbem Cabul, XIX: 27, Salomonis demum aetate fuisse cognitam ait, coll. 1 Reg. IX: 13. Non dubium vero quin hoc loco

re-

(41) vid. 2 Sam. IV: 3.

(42) § 168.

(43) § 447. pag. 374. not. g.

(44) l. l. § 244. not. 2.

regionis, ab Hiramō sic appellatae, mentio fita, noster vero urbem memoret, cuius Flavii Josephi aetate non nisi pagus supererat (45).

Antiquissimi aevi scriptorem fuisse nostrum, rursus inde patet, quod Sidon, Cap. XIX: 28, צִידוֹן רְבָה appelletur. Qua de re ad primum monuimus monumentum. Vid. p. 129. Eandem in rem minus splendida Tyri mentio quadrat, XIX: 29 עֵר מְבַצֵר צֵר. Nondum enim inclytam eo tempore famam acceperat.

Aequali igitur tempore rerum ab ipso narratarum homini hoc etiam quominus adscribatur monumentum, nihil est quod impediāt. Quem Josuam non fuisse, ex omnibus apparet narrationibus rerum historicis, quas post viri fata accidisse manifestissime docet temporum ratio.

§ 4.

De quarti, quinti, et sexti monumenti auctore.

De horum monumentorum auctoribus coniunctim dicere liceat. Perpauca enim de aetate eorum innotuerunt. Quapropter breves simus necesse est.

Quod quarto traditur monumento, in tempora, quae Josuae obitum exceperunt, cadere vidimus (46). Nihil autem impedit quominus aequali aut oculato testi adscribatur. Quin altare, quod posterorum

(45) v. De vita sua § 43. ed. Haverkamp, quem citat Eichhornius l. l. Bertholdtus l. l.

(46) Vid. supra p. 94.

rum in gratiam conditum esse dicitur, eosdem mores idemque ingenium ostendit, quae in primo monumento libri depicta atque expressa sunt. In doctrina de uno culto sacro sanctissime tuendo et custodiendo, Wettius quidem vestigium se cernere ait aetatis, Davidica aetate multo serio-
 ris. Nobis vero ipsa illa doctrina accommodatis-
 sima videtur tempori Josuae, qui religiosissimus Jehovae cultor, et quasi antistes, populum non solum dum viveret unius Dei cultui devotum reddiderat, verum etiam aequalium animos ea impleverat Numinis veneratione, ut Deo addicti remanerent, etiam postquam ille diem obiisset supremum. Cuius rei notitiam si quis e fontibus petitam dicat, quos nondum probavimus, Josuae exstitisse aetate, ei rursus in mentem revocandum putamus, historiam in nostro relatam monumen-
 to, paulo post mortem Josuae accidisse, qui quin omni opere veri Dei reverentiam servare studuerit, nemo potest dubitare, si modo capitis XXII initium inspiciat, aut si hoc quidem monumen-
 tum e temporibus Josuae esse non satis demonstratum existimet, quantum adeat, quod ipsum Josuam habet auctorem, a quo non scriptum solum, sed etiam libro legis divinae insertum est. Conf. XXIV: 26. Quod ubi affirmo, im-
 prudentius fortasse loqui videar, ob multiplicem, qui laudato loco dari possit, sensum. Vocabula enim **הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה** triplici modo accipi possunt. Vel totam rem in concione peractam significant; qua admissa sententia, orationem Josuae etiam iis verbis traditam esse, necesse est,
 qui-

quibus illam pronunciarit, huic autem ut et ipsi populi responso, ex authentico codice descriptis, alium, nescio quem, reliquam addidisse narrationem, quae legitur inde a colo 25 usque ad colon 28. Aut illa vocabula hoc solum significant, Josuam, quo magis populum adstringeret fidei, quam Jehovae dederat, servandae, foedus, Deum inter et Israëlitas pactum, in libro legis conceptis conscripsisse verbis. Aut hoc denique modo accipiatur locus, totum, ab initio inde ad finem, monumentum esse totidem verbis in codicem legis insertum, inde autem a collectore libri desumptum et hunc in locum translatum. Horum autem quidquid statuatur: — secundae quidem sententiae favere videtur Eichhornius (47), primae Bertholdtus (48), Wettio nihil hic monente: — illud tamen utique certissimum est et indubitatum, Josuam, ultimis etiam vitae diebus, religiosae gentis indoli favendae et confirmandae summam adhibuisse curam, cuius conaminibus non plane defuisse fructus, ex hoc ipso monumento luculenter apparet.

Haec de quarti quintique monumenti auctore. De sexti nihil est quod dicamus, nisi quod nullam ob causam recentioris originis habeatur. Quod si autem ab auctore secundi monumenti profectum videatur, quae de illo breviter notavimus, respiciantur.

(47) p. 368.

(48) p. 859.

§. 5.

De septimi monumenti auctore.

Hoc monumentum quum, uti nobis quidem videtur, ex interpolatoris annotatione ortum et vero maximam partem ex alicuius poetae carmine desumptum fuerit, de utriusque aetate est dicendum. Quum vero ad poëtam certe quod attinet nulla ad memoriam nostram pervenerint testimonia, ex quibus, quo aevo floruerit, efficiatur, etiam hac de re perpauca tantum in medium proferri possunt. Num aequalis Josuae fuerit, particeps sociusque ab illo partae victoriae, an vero diu post tempora eius vixerit, utrumque in ambiguo versatur. Quod enim poëma hominis in libro Sinceri legebatur, id argumento esse nequit illud eo demum tempore natum fuisse, quo liber iste confectus et in lucem editus sit. Qui quum Davide extincto in lucem prodierit, aut certe proecta jam huius regis aetate: quod inde patere, quia huius quoque in librum Sinceri carmen insertum est, coll. 2 Sam. I: 18, nemo ignorat: hinc facile colligitur, in quae primum tempora interpolatoris aevum incidere potuerit.

§ 6.

De auctore octavi, noni et decimi monumenti, deque totius libri collectore.

Horum iterum monumentorum simul sumtorum originem exponere visum est. De primo enim nihil

hil aliud est referendum, nisi quod Calebis orationi tanta vis insit, tanta prudentia, tam vera denique eloquentia, tamque singularis et propria ratio dicendi, ut, Eichhornio et Bertholdto iudicibus, veluti ex ore viri descripta esse videatur. Quod itaque quidni a teste factum putemus, cui eloquentissimum audire virum contigerit? Neque enim ulla causa est cur e seriori aetate scriptorem repetamus. Wettius quidem Chaldaico המסין caussam inesse putat. At haec unica forma non tanti videtur. Facile enim, ut ait Vater, scribae seriori viventis aetate calamo excidit, aut ipsa antiquior forma adeoque antiquioris originis signum est. Unum alterumve ut statuamus, suadet etiam nostri ac primi monumenti dictionis convenientia, quae in ipsa etiam phrasi, המסין לב העם, clarissime perspicitur, uti in priori disputationis parte ostendimus. Pleniores antiquioresque formas plures iam in hoc libro notavimus. Quo magis indicio videntur, omnia monumenta esse una eademque conscripta aetate, cum formae eiusmodi adhuc in usu essent (50).

De aetate utriusque auctoris, cui ultima libri debemus monumenta, etsi singuli singulare habeant narrationis argumentum, eadem tamen quaestio est. Hoc inde oritur, quod utraque illa narratio in prioribus libri Judicum capitibus, partim mutata quidem et truncata, partim vero iisdem fere verbis, exponatur. Conf. Jud. I: 10—15. II: 6—9. Itaque cum permultae diversissimae

que

(50) Vid. Vateri Hebräische Sprachlehre, p. 293.

que excogitari possint causae, quibus factum sit, ut utraque narratio in duobus libris locum acceperit, quas qui cognoscere velit, ei Meyer consulendus sit, quippe qui tot opiniones quot modo congeri queant, protulerit, nullum tamen ipse sibi aut lectoribus probans, et ne unam quidem paulo pluribus explicans; ex omnibus iis itaque rationibus, duae quidem investigandae, conferendae et ponderandae videntur: num ex alio quodam fonte, quae supersunt, et in Josuae et in Judicum librum derivatae fuerint narrationes, an vero altera originem alteri debeat. Quarum tamen utrarumque perserutatio tam arcte connexa et coniuncta est, ut altera divelli ab alterâ nequeat, sed simul et coniunctim sit instituenda.

Ac primam quidem sententiam persuadere mihi, omnino non potui. Nonum enim et decimum monumentum tam diversas historias exhibent, ut, cum omne desit eius rei indicium, non temere coniciendum putem, in alio quoque libro illas coniunctim fuisse servatas. Quodsi quis non mirandum autumet, quia et in Josua et in Judicum libro ambae inveniantur, non attendere eum censemus discrepantem utriusque monumenti dictionem, quae in nostro quidem tanti habebatur, ut eam ob causam alii scriptori aliud monumentum videretur tribuendum. Quapropter etiam alium illum librum, in quo utrumque simul exstisset, pariter atque nostrum, ex diversorum scriptorum monumentis compositum fuisse, suspicandum esset. Quae vero suspicio, de libro, quem, umquam-

ne exstiterit, plane ignoramus, emissa, ut temeritatis et audaciae notam effugere queat, equidem vereor.

Sed praeterea alia etiam in primo capite Judicum reperiuntur loca, ubi eadem res iisdem narrantur verbis, quibus in Josua. Illa itaque, simul cum aliis, infra indicandis, caussis, in eam potius nos inducunt opinionem, totum Josuae librum ante quam Judicum librum natum fuisse, unde factum sit, ut huius auctor nonnullas ex nostro desumeret narrationes. Ad loca quae diximus; omnia autem in tertio adsunt nostri monumento; primum pertinet alia brevior de Calebe relatio, c. 20. Cui cum inest color narrationis Jos. XIV traditae, tum et quaedam ex XV: 13 sqq. desumpta. Ex illo est כַּאֲשֶׁר דָּבַר, coll. c. 12, in cuius locum cap. XV: 13 habet אֵל פִּי. In illo etiam Mosis mentio fit, in hoc non item. In illo simpliciter, וַיִּתֵּן אֶת חֲבֵרוֹן לְכַלֵּב בֶּן יִפְנֵה, לְנַחֲלָה, cui similior Judicum locus, וַיִּתְּנוּ לְכַלֵּב אֶת חֲבֵרוֹן בֶּן יִפְנֵה נָתַן חֶלֶק בְּתוֹךְ בְּנֵי יִהוּדָה אֶת קֵרִית אַרְבַּע אַבְי הָאֵנֶק הִיא חֲבֵרוֹן. — Ex quo tamen haec in Judicum I: 20 desumpta videntur, וַיִּרְשׁ מִשָּׁם אֶת שְׁלֹשָׁה בְנֵי הָעֵנֶק. Jam vero aliter c. 10 eiusdem capituli de Judae tribu. Primum legitur וַיָּבֹאוּ; tum nomina trium heroum sequuntur, quae c. 20 desiderantur, dum illo in loco tres *Enakim filios* fuisse eos, non prodatur. Quibus collatis, id quidem statuendum putamus, Jud. I: 20 ab alia manu profectum esse, ab alia praecedentem de Calebe narrationem. Quod cum iam inde

coniicias, quia ab omni abhorreat probabilitate, auctorem, quam rem paulo ante memoravisset, eandem statim postea rursus esse memoraturum, tum diversissima accedit locorum dicendi forma, quam ita quidem comparatam vidimus, ut quum unus cum nono solum conveniat Josuae monumento, alter huius atque octavi stilum referat. Quorum uter germanus, uter interpolatus sit locus, postea commodius docebitur. Quod sequitur autem, colon 21, qua ratione cum Jos. XV: 63 conciliari possit, ad hunc locum dictum est. Utriusque verba cum eadem sint, nisi quod in Josua Judaeis attribuitur, quod in Judicum annalibus Beniaminitis, rem ita sese habuisse opinor, horum auctorem, cum in nostro minime hospes esset, ac sciret, Beniaminitas, non minus quam Judaeos, coactos fuisse, ut Jebusaeos eiusdem civitatis cives sociosque esse paterentur, hoc non censuisse praetermittendum, id autem fecisse Josuae verbis, quia hunc librum, diurna, ut ita dicam, nocturnaue manu, in rem suam volveret. Eius autem etsi non palmarium consilium fuerit, narrationes, in Josuâ obvias, supplendi et amplificandi, tamen huiusmodi conatum cernimus c. 9, unde plenius memoratum accepimus, quid Judae tribus ad Jebusaeos Hierosolymis expellendos contulerit.

Per universum hoc caput illi perpetuo oculis obversatum fuisse tertium Josuae monumentum, clarissime ex colis 27, 28, 29 apparet, coll. Jos. XVI: 10. XVII: 10 sqq. Nam levissimis tantum vocabulorum mutationibus factis, iisdem verbis, utroque in loco, de iisdem urbibus, ad di.

ditionem posterorum Josephi pertinentibus, memoriae traditum est, eas initio quidem deleri non potuisse, deinde vero, cum Israelitae sumsissent vires, tributarias esse redditas. Nulla vero causa excogitari potest, cur Judicum auctor non topographicas consuluerit tabulas, scriptum authenticum scilicet, cui fidem habere posset. Ex quibus cum urbium depromsisset nomina, tum quoque quae amplius de sorte illarum monerentur, iisdem verbis in sua eum tradidisse descriptione, nemini, credo, mirum videbitur. Quod si igitur Josuae libro certissime hoc loco usus est, quidni huic etiam duas illas acceptas retulerit narrationes, de quibus ipsis nunc quidem agimus?

At cavendum est, ne nosmet ipsi antevertamus. Quod sane fiat, si de utriusque narrationis ratione iam his dictis aliquid statuere velimus. Neque enim ex iis continuo sequitur, quod de reliquis valet, id de nostris quoque locis valere. Igitur haec ipsa antea inspicienda sunt, et cum universo auctoris consilio comparanda.

Ad hoc quidem primum quod attinet, neque Bertholdto, neque Wettio assentiendum putamus. Ille quidem libri initium, I—II: 6, alius auctoris esse scriptum dicit, ac sequentia capita, usque ad caput XVII (50); ubi quidem novum ac diversum monumentum incipit. Hic vero initium libri sequentibus ab eodem auctore serius praemissum esse opinatur. (51) Quod quamvis a veritate propius abesse putem Eichhornio tamen malim

(50) p. 876.

(51) § 174.

lim favere, cui XVII priora capita unius videantur esse auctoris, uno et altero interpolato loco excepto. De quo mox dicendum. Nunc primum quidem ex Bertholdto et Wettio hoc unum rogare liceat, libri exordium, si nulla praecederet alia narratio, quo tandem modo his verbis incipere potuerit **וַיִּשְׁלַח יְהוֹשֻׁעַ אֶת הָעָם**. Quis sit, ille Josua? quis populus? rogo, unde dimiserit? in quam populus se contulerit orbis terrarum partem? Taceo ampliolem, quae sequitur, mortis Josuae, ignoti quippe hominis, narrationem, quo anno vitae acciderit, quo in loco sepultus sit Josua, alia. Quasi vero historicus, uti poeta, lectorem medias abripere in res soleat, ac hominum rerumque facere mentionem, quos antea ne verbo quidem significaverit.

Quam eandem observationem etiam de initio capitis primi valere, ne dicas. Hoc enim si post Josuae librum scriptum est, aptissime finem eius excipit, abruptumque narrationis filum persequitur. Iudicum vero caput II: 6 sqq. neque si temporum, neque si rerum ordinem spectas, ultima nostri cola commode sequitur.

Eichhornii autem haec est sententia. Cum auctori partis libri Iudicum prioris hoc sine dubio propositum fuerit, ut, ex ipsa gentis suae historia argumento desumpto, populares doceret, Deorum cultum falsorum pestem ac perniciem attulisse rei publicae, Jehovahae cultum vero, florem, salutem, omne bonum, introitus instar, duo operi praemisisse capita, quibus cum belli post Josuae obitum, fata exitumque declararet, quae tribus ex-

stir-

stirpandis hostibus strenuam manum admovissent, quae contra pro tributo pendendo pacem dedissent; tum quoque exponeret, quam vim et efficaciam habuisset importuna haec et impia lenitas ad pervertendos mores, ingenium, cultum, privatam denique ac publicam felicitatem. Rectissime quidem Eichhornius. Neque enim plane exsecutus esset scriptor consilium, si quidem clementiae istius perniciosissimas tradidisset sequelas, ipsius clementiae causam et rationem tacuisset. Hoc igitur consilio cum in proeliorum narratione versaretur, quid ineptius aut a re sua alienius facere potuisset, quam narratione de Calebe inserenda, neque brevi quidem illa, sed longissima potius dicenda, si saltem caeteras compares concinnas belli narrationes. Aptiora consilio hominis pauca sunt, quae de Calebe c. 20 referuntur. Nec etiam alia similis est in toto capite episodus. Cui ut aliquis Adonizedeci verba moribundi paucissima aequiparanda censeat, non metuendum puto. Respectu igitur habito et auctoris consilii, et narrationis illius argumenti, hanc ab aliena manu in textum immisissam censemus. Neque tamen assentimur Eichhornio, interpolationis initium iam colo 10 ponenti. Quam pulcre enim colon 16 colo 9 respondeat, quapropter illud hoc antiquitus excepisse suspicatur Eichhornius, tamen 10 et 11 colon auctoris consilio nimis congruum est, quam ut ab eo non profectum esse putemus. Accedit quod 10 colon Jos. XV: 13 multum discrepet, uti supra monuimus collatisque locis facile patet. Quapropter nihil est, quod suadeat, ut illud, vel ex eodem fonte cum hoc

nostri colo, vel ex hoc ipso derivatum putemus. Atqui in reliqua narrationis parte, inde a c. 13, nihil inest mutationis, nisi quod de Ketzazo dicitur, fuisse fratrem Calèbis minorem, tum quod pro **הבה, תנה**, denique pro **השדה**, legatur **שדה**. Fateor quidem Judicum colon 12 Jos. XV: 15 simillimum esse. Quod tamen cur in auctoris scripto miremur, non video, quem nostrum librum saepissime ante oculos habuisse, certissimum sit. Nos itaque solummodo cola 13, 14, 15: pro spuris habemus.

Nunc ad alterum locum, Jud. II: 6—9, veniamus, qui quoque cum decimo nostri monumento, nonnullis mutatis, convenit. Idem atque de praecedente tulit de illo Echhornius iudicium Ad narrationem de propheta; legatum divinum intelligit; in Israëlitarum mansuetudinem animadvertente illustrandam, interpolata esse cola sequentia autumat. Nos vero locum germanum esse putamus, id est, ab ipso primae libri partis auctore, ex Josuae libro, quo saepius usum esse vidimus, in suam allatum historiam, quo clarius eam explicaret atque amplificaret. Quae tamen sententia ad c. 6 non pertinet. Quod etsi valde conveniat cum decimi monumenti ultimo colo, convenientiam tamen fortuitam dicendam puto, quae potius inde enata sit, quod Judicum auctor familiaritatem permagnam cum nostro toto libro contraxerit, quam quod XXIV: 28 ipsum imitare aut exprimere voluerit. Non solum post **וילכו** addidit **בני ישראל**, sed in fine etiam **לרשת את הארץ**; quae verba postrema non casu videntur apposita, verum consilio. Cum id enim

Israëlitis criminis daretur, quod terrâ, quam divinitus accepissent, veteres incolas, impios homines, non expellerent, non sine caussa additur eos, reprehensione ista percussos atque commotos ad poenitentiam, discessisse et in sedem quisque suam se contulisse, ut terram illam occuparent. Hinc autem iam statim patere putamus, qui tanto in scribendo usus est consilio, id quod in universo hoc opere perspicitur, eum, cum orationem retulisset, ab angelo in concione habitam, non diciturum fuisse, a Josua dimissam esse concionem, praecipue cum ab huius ipsius viri obitu narrando historiam suam incepisset. Itaque Josuae nomen spurium videtur, ab imperitissimo et importunissimo homine interpolatum, cui quid in mentem venerit, cum illud addendum putaret, sana mente praeditum coniecere neminem posse arbitror. Hic vero fortasse Eichhornius, quique ei adstipulentur: at tu bone! nunc quidem Josuae nomen dicis interpolatum, quia plane abs re positum est, quidni vero illud totum arguat interpolatum esse locum? Ego vero quominus id statuam, praeter eas, quas in medium protuli, duas habeo alias rationes. Prior est quod cola 7, 8, 9 aequae apta consilio scriptoris sint, aequae bene sanam eius mentem prodant, ac in colo 6 perspiciantur, Josuae nomine dempto. Huius autem viri mentionem qui hoc loco iniicere potuerit, eum ab omni consilio imparatum fuisse. Consilio quidem cola ista inserta et disposita esse ut luculenter appareat, decimum nostri conferendum est monumentum. Neque enim ita cum eo convenit

ut vel ex illo, vel ex fonte antiquiori, temere et imprudenter desumptus videatur. Prima quidem c. 29 verba, ויהי אחרי הדברים האלה, desiderantur. Neque etiam quidquam huc facerent. At septimum colon, nonnullis mutatis, ea refert, quae in Josua c. 31 tradita fuerant. In quibus utrisque reddendis colis, apud nostram, ויעבר ישראל, perfecto historico est reddendum. Persequitur enim scriptor narrationem. In Judicum libro, ויעברו העם, plusquamperfecto. Vau autem per *nam* reddatur. Grammaticae haec ferri posse, non est quod demonstretur. Cur autem hoc loco ita faciendum sit, rei haec est causa, scriptorem, quod nondum huc usque fecerat, rationem reddere admonitionis angeli. Ille igitur, « etenim, inquit, quamdiu et Josua, et magistratus in vivis fuerant, qui miracula ingentia adspexissent, a Deo in gratiam Israël facta, Deum coluerat populus. Josua vero diem obiit supremum, centum et decem annos natus, sepultus in regione, quam in haereditatem acceperat; omnes quoque mortui sunt viri aequales: ecce novum extitit progenies, quae neque illum, neque Dei facta novisset, haec autem peccavit ac iram Dei sibi contraxit.»

En paucis habes loci sensum. Vide ut egregie quadret scriptoris consilio, qui cola, ex quibus decimum Josuae monumentum compositum est, ita transposuit: itaque aptavit, ut praeclaram prudentiae laudem omnino mereatur? Cola nostri ita quidem transposita sunt, ut sese hoc modo invicem sequantur: 31, 29 parte altera, 30.

Posterior autem caussa, cur ab Eichhornii discedamus sententia, in eo sita est, colis 6, 7, 8, 9 omissis, illam progeniem, quâ mortuâ, posterius a Deo defecisse feruntur, non aliam esse posse, quam quae sacrificia obtulisse Deo c. 5 dicatur. Atque illa ipsa Jehovam deseruerat. Huius ipsius commonendi ac reprehendendi causa angelus venerat. Ex quo itaque sequitur, colon 10 ex 7 esse explicandum, progeniem autem, in illo memoratam, eos esse homines, qui tempore Josuae vixerant. Itaque cum nonnisi ex loco, quem Eichhornius interpolatum putat, explicari posse decimum colon, hoc autem germanae esse originis minime dubitandum sit; quod quidem sumere liceat, quippe a nemine impugnatum et satis conspicuum, si sequentia conferantur: totum locum, nomine Josuae excepto, auctori primae libri Judicum partis attribuendum censeo. Quem ex Josuae hausisse libro, non amplius demonstrandum videtur.

Auctor itaque decimi monumenti, nisi aetate etiam antecesserit Judicum auctorem, scriptio-nem certe, qua libro nostro finem imposuit, prius quam ille suam confecit. De noni monumenti auctore, ac de Jud. I: 13—15, adhuc sub iudice lis est. Quae facile esset diremta, si Judicum locus germanus videretur. Nunc utique dubium est, non illud quidem, num locus nostri ex interpolatione ista sit desumptus, quod falsum esse cuique patet, at vero, num haec e nostro, an uterque ex uno eodemque fonte fontasse manarit. Postquam vero semel constiterit, Josu-

am;

am, qui serius scripsit, tamquam fontem adisse, prior maximam probabilitatem videtur habere sententia. Quae maiorem etiam inde auctoritatem accipit, quod nonum nostri monumentum, etsi incommodo satis insertum loco, tamen integrae atque plenae formam habeat narrationis. Caleb enim quis sit, a scriptore innuitur; qua de caussa possessionem singularem acceperit, denique a quibus acceperit. Horum nihil in Iudicum interpolamento. Itaque fontem limpidissimum cum in illo conspici putem, in hoc rivulum cernimus ab eo deductam.

Aetas autem scriptorum, a quibus ultima nostri monumenta profecta sunt, ut describatur et definiatur, omnino opus est, ut in aetatem auctoris, cui priorem libri Iudicum debemus partem, sedulo inquiratur. Quae tamen investigatio, cum peculiarem postularet disputationem, quae fortasse in haud difficiliore ambages et controversiarum disceptationes duceret, quam in quas impulit nos haec ipsa nostra dicendi materia, eam a nobis expectandam non esse putamus, alique potius harum rerum et studioso et peritiori relinquendam. Nos quidem, quoad eius fieri posset, quantumque pro viribus liceret, officio satisfacisse putamus, hac etiam addita observatione, in monumento decimo recentioris signum aevi, quam quod Josuae obitum excepit, nullum nobis occurrisse. Attamen vidisse videtur scriptor aetatem, qua sincerus Dei cultus in desuetudinem et contemptum abire inciperet. Quae nobis hinc suspicio orta est, quod populum coluisse Jehovam testetur, quamdiu Jo-

su-

suae aequales viverent. Qua annotatione tacite innuere voluisse videtur, mutatam esse suo tempore rerum conditionem. Ipsum quidem piâ Josuae recordatione imbutum habuisse animum opinor. Aut fallor enim, aut eam vividissime manifestavit, cum tanti memoriâ viri, infando dolore percussus, illum, Mosis ad instar, ministrum Jehovae appellaret.

Denique ad collectorem totius libri quod attinet, nullum alium fuisse putamus, quam ipsum decimi monumenti auctorem. Huius enim eiusmodi habitus atque indoles est, ac si collectis, quae de Josua circumferrentur, traditionibus, auctor ultimam tandem imponendam iis omnibus manum iudicavit, earumque, ad mortem viri pertinentium, rerum, quarum a praecedentibus scriptoribus memoriam nondum factam esse cerneret, sibi relictam esse commemorationem.

Qui autem tantum opus turbulentissimis istis temporibus suscipi ac perfici vix potuisse arbitrentur, ideoque placidiori aetate, sub regibus, factum malint, iis ita occurrendum putamus, saepius evenisse, ut media inter arma, medios inter hostes, desolatâ patriâ, stratis moribus, eversis aris unus aliquis, aut plures etiam cives existerent, qui, ut in illa ruina et communi omnium bonorum interitu erigerent animum, atque in quemdam salutis veluti portum sese ipsi reciperent, sese de publica privataque calamitate, de abiecta in primis patrum religione perditisque moribus, consolarentur, qui his inquam de caussis pristini aevi felicissimam recolerent conditionem, hanc dies noctesque ob oculos

ponerent, in hac quasi viverent, monumenta eius temporis, quae arripere possent, undique colligerent, ipsi denique illam scriptis exprimerent, et quasi revocare studerent. Ex quibus unum, sua aetate, fuisse huius libri collectorem, nos quidem nobis non immerito suspicari videmur.

T A N T U M.



ADDENDA ET CORRIGENDA.

- Ad pag. 3. אמר plerumque cum אל constructur, I: 1. II: 9, 17, 22. III: 5, 6, 7, 9. IV: 1, 21. V: 2, 9, 15. VI: 2, 6, 7, 8, 10, 16. VII. VIII. IX. X, non nisi cum אל. XI: 6. Cum ל, II: 2, 14, 16. IV: 5, 7. V: 13, 14. VI: 22. XI: 9.
- — — De medio populo semel dicitur תוך, VIII, 9; ceteroquin semper קרב, I: 11. III: 2: 5, 10. IV: 6. VI: 25. VII: 12, 13. IX: 7, 16, 22. X: 1:
- — — 4. lin. 6. pro colo, leg. loco.
- — — 11. — 14. — Articulum, — notam Accusativi.
- — — 21. — 22. — הִישְׂרָאֵל, — יִשְׂרָאֵל.
- — — 25. — 29. — captorum, — captarum.
- — — 33. — 19. — utrisque, — castris.
- — — 38. — 10. — discediant, — discedunt.
- — — 40. — 13. — Quas, — Quae.
- — — 41. — 29. — וַיֹּאמֶר, — לֵאמֹר.
- — — 44. — 16. — רָאוּ, — רָאָה.
- — — — 19. — אֲרֵנִים, — אֲרָנִים.
- — — 45. — 9. — XVI, — VI.
- — — 49. Infinitivus Constructus semel passive usurpatur, II: 5.
- — — 54. lin. 13. pro dignae, leg. digna.
- — — 57. — 18. Ad ea quae dicuntur de Dei nomine: *Jehova Deus Israël*, conferantur quae infra de hoc loco notamus, pag. 106.
- — — — 32. pro c. 7. leg. XXII: 7.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

- Ad pag. 58. lin. 9. *pro* relinquens, *leg.* relinquentem.
 — — 59. Denique in hoc monumento, Cap. XXIII:
 1, 2 exstat illud periodicæ constructionis
 exemplum, quod commemoravimus supra
 pag. 20.

Protasis.

ויהי מימים אחרים אשר הניח
 יהוה לישראל מכל איביהם מסבני

Inserta phrasis.

ויהושע זקן בא בימים

Apodosis.

ויקרא יהושע לכל ישראל—ויאמר
 אליהם

- — 60. אמר cum אל tantum construitur. Vid.
 XIII: 1. XXII: 2, 8. XXIII: 2.
 — — 63. lin. 28. *pro* Loca, *leg.* Locus.
 — — 64. De tribuum Trans-Jordanitarum nuncu-
 pandarum ratione partim ex iis constat,
 quae, pag. 62, de usu articuli in nomine
 Manassis docuimus. Quibus addatur, Ru-
 beniticas Gaditicasque tribus eodem nomine
 ac in primo appellari monumento. Vid.
 XIII: 8. XXII: 1. Coll. supra pag. 19.
 — — 73. lin. 25. *pro* XXIII. *leg.* XIII.
 — — 74. — 26. *Ante* Etiam, hoc addatur: Cap.
 XX: 2 cum ביד construitur,
 quae ratio est plane insolita.
 — — 75. — 2. — aliter in se-
 cundo, — non aliter in se-
 cundo.
 — — 77. — 9. — Vid. p. 3. — Vid. additamenta
 ad pag. 3.
 — — — 28. — XVIII, — XVII.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

- Ad pag. 77. שׁוּב, *Alicui retulit aliquid*, cum לָא constructur, XVIII: 8 quae res infra usui erit.
- — — שׁוּבֵי vocantur *incolae regionis alicuius*, XIII: 21. XV: 63. XVII: 7, 11. Sic etiam in primo monumento. Vid. pag. 5. Hoc etiam infra usui est. Vid. pag. 99.
- — — 78. Substantivis definitae notionis non praefigitur articulus, si quidem proprium nomen regant in genitivo. Conf. XIII: 15, 16, 21, 23, 24, 26 sqq. XIV: 1, 2, 4, 5. XV: 1, 2, 4, 5, 7—12, 20, 21, 63. XVI: 1—4, 8 sqq. XVII: 1—9, 11—17. XVIII: 1, 3, 5—8, 10—21, 28. XIX: 1, 2, 8—12, 14—17, 23, 24, 27, 29, 31, 32, 35, 38, 39, 46 sqq. XX: 2, 7 sqq. XXI: 1—13, 19—21, 23, 25—28, 32—34, 36, 38, 40, 41. Idem et primo et secundo obtinuit monumento. Vid. pag. 8, 56. Infra hac de re pluribus. Vid. pag. 107.
- — — Substantivis definitae notionis praefigitur articulus, indefinitae non praefigitur. Prius fit XIII: 16, 17, 22, 24, 25, 28. XIV: 1, 2, 5. XV: 1, 2, 6—12, 21, 63. XVI: 1, 6, 8 sqq. XVII: 1, 4, 7, 9—12, 15, 16. XVIII: 1, 3, 4—6, 8—10, 12—16, 18, 19. XIX: 1, 8, 10, 11, 14, 16, 17, 22—24, 29, 31, 32, 34, 38, 39, 45, 48 sqq. XX: 4—6, 9. XXI: 1, 3—6, 8—10, 13, 16. Posterius XIII: 30, 32, 33. XIV: 3, 4. XV: 2, 4, 5, 8, 10—12. XVI: 3. XVII: 3, 4, 6, 9, 14, 15, 17, 18. XVIII: 2, 4—10, 12, 15, 18, 19, 28. XIX: 6, 11, 12, 13, 15, 22, 30, 34, 37, 49, 51. XX: 3, 4, 8, 9. XXI: 2, 4—7, 16, 18, 19, 22, 24—27, 29, 31—33, 35, 37, 39 sqq. Ad

ADDENDA ET CORRIGENDA.

- Ad pag. 82, lin. 26. *Post vocabulum: locis — addatur*
 XIV: 1. XIX: 51. XXI: 1.
- — 89, — 15. *pro re, leg. rei.*
- — 93, — 8. In caeteris simile quid non invenitur. — Imprudentius dictum. Vid. infra p. 100.
- — 95, — 27. *Post vocabulum: referendum — haec inserantur.* Cum tertio quidem monumento hoc commune habet, quod publicarum rerum administrationem ipsi populo tribuat, quem nomine, **בני ישראל** appellat. c. 12, 13, 32, 33. Vid. p. 83. Rursus vero nostro in usu est nomen **ישראל**, c. 14, 16, 18, 20, 21, 22, 24, 30, quod in tertio aberat. Nomen **עדה** praeterea cum in primo monumento, Cap. IX, saepius usurparetur, sicut supra docuimus, pag. 16, nullo ceteroquin nomine addito, in tertio autem semel, XVIII: 1, addito, **בני ישראל**, nostro usitatissimum est. Nude autem semel modo ponitur, c. 30, reliquis vero in locis unum alterumve adiunctum habet nomen. Sic c. 12 habes, **עדת בני ישראל**, c. 16, 17, **עדת יהוה**, c. 18, 20, **עדת ישראל**. Haec duo igitur nova sunt populi Israëlitici nomina, quibus nostrum a reliquis differt monumentis. **עם** et **גוי** hic non leguntur.



THESES.



I.

Quicumque autem, idcirco nullam esse posse immediatam, ut dicitur, patefactionem divinam, quod humanum genus semper ad maiorem progrediatur perfectionem, ita ut sperandum sit, fore, ut olim suis ipsa viribus ratio ad eam enitatur divinarum rerum cognitionem, quae efficiat, ut institutione eiusmodi peculiari hominibus opus non sit, eos rem affirmare putamus, omnium aetatum experientiae contrariam. Quod ne ita accipiat, quasi negemus, nunc ad altioremsensim homines pervenisse et culturae ingenii, et perfectionis moralis gradum, quam ante hos MDCCC annos adscenderant, sed ipsa haec melior humanitatis conditio, cum Christianae in primis debeatur religioni, illorum iam redarguit opinionem. Hoc enim contendimus, superiorum docere saeculorum historiam, eam, quae n bis sufficiat, divinarum rerum scientiam rationem humanam, sibi solam relictam, percipere nullo modo posse.

T H E S E S.

II.

Quantumvis praestans sit divinitus homini datum munus rationis, longe tamen praestantior ipse est Deus. Itaque fieri non potest, quin naturae et voluntatis divinae patefactio aliquid habeat in homines auctoritatis. Quapropter nil miramur, per Christianam religionem obscuriora, humanum captum superantia, dogmata doceri; quae autem illa continet, sic dicta, Mysteria, eam ob causam Deo dignissima censemus, quod in hominis salutem egregiam praestent utilitatem.

III.

Cum dubitari non possit, quin Deus nutu suo singulorum, his in terris, hominum fata dirigat, ex eo quoque pendere necesse est omnium post mortem felicem miseramve conditionem. Ex solius igitur rationis effatis certissimum esse apparet, futuram singulorum hominum sortem in Dei voluntate et arbitrio esse positam. Quam rem, ad abyssum divinae naturae pertinentem, cum a nobis quidem haudquaquam perspicere, neque cum actionum nostrarum libertate conciliari possit, ea de causa in S. C. non diserte memoratam putamus, ut nimirum homines discerent a subtiliori eius perscrutatione abstinere.

IV.

T H E S E S.

IV.

Cum hac in terra aptissimus elegantissimusque rerum ordo cernatur, a pulvisculo singulis gradibus ad hominem adscendens, nulla vero esse causa videatur, cur non homine etiam praestantiores Deus creaverit naturas, Sacrarum literarum de angelis doctrinam rationi minime contrariam putamus.

V.

Flavius Josephus, etsi in Historia sua conscribenda versionem Graecam Alexandrinam consuluit, maximam tamen partem ex ipso hausit Hebraeo fonte.

VI.

Liber Jobi eo scriptus videtur consilio, ut intelligatur, hominum non esse divinam defendere Providentiam.

VII.

Gesenius, vir cl. in commentario ad vaticinia Jesaiae, multis nominibus laudatissimo, perperam dixisse videtur, pluralem formam ל Cap. LIII: 8, impedire, quominus ad unum hominem oratio referatur.

VIII.

T H E S E S.

VIII.

Locus Jesaiae, Cap. VII: 24, si quidem et proximum rerum et sermonis contextum, et grammaticam vocabulorum significationem spectes, ad rem, quae eo agebatur tempore, unice pertinere videtur. Neque tamen iniuria ad vaticinia Messiana relatum putamus. Quod cum ex verbis Matthaei, Cap. I: 22 probabile fit, tum ex iis certissime colligitur, quae deinde in eodem hoc vaticinio illustrata et egregia de puero produntur, cuius natalium nostro loco mentio est. Conf. Cap. IX: 5. XI. XII. Nostri itaque ratio est, quae aliorum huius generis locorum, ubi propheta quidem de ipso loquatur populo Israëlitico, cum tamen Deus, qui curaret, ut adventus Filii sui certis ex signis agnosceretur, ita mentem direxisse loquentis videatur, ut quae ab illo dicerentur, etiam in Christum convenirent.

IX.

Christus in oratione ad discipulos habita, Matth. XXIV: 4 sqq. de Hierosolymorum tantum excidio agit, deque tempore, quod istum praecessit eventum.

X.

Quae in epistola Jacobi de fide et operibus doctrina epistolarum ad Romanos et Hebraeos
doc-

T H E S E S.

doctrinae contraria videtur, cum ea tamen facile componi potest. Hoc autem in illa consilium perspicitur, ut perversam, qua hanc interpretarentur, rationem diserte refelleret.

XI.

Posteriorem Petri epistolam germanam esse censemus.

XII.

Christianam morum doctrinam non nisi summo moralitatis, ad quod cogitando ascendi possit ratio humana, principio, tantum abest ut vitio illi sit vertendum, ut potius praestantiam eius praecipue declarare videatur.

XIII.

Christiano homini hoc in primis concedendum est, ut Codicem Sacrum fidei normam unicam habeat, ac nulla hominum auctoritate constrictus teneatur.

XIV.

Ea est in Belgio hodie Protestantium diversis addictorum familiis amicitia, ea mutua caritas et concordia, ut omnium unum in coetum coniunctio vix desideranda videatur. Licet enim, quibus opinionibus a se invicem dif-
fe-

T H E S E S.

ferunt, non ad primaria pertineant capita religionis, totius tamen ecclesiae paci optime consultum iri arbitramur, si singulae adhuc familiae integrae maneant. Doctoribus vero quin incumbat, ut liberalem nostrae aetatis indolem sedulo atque sapienter promovere studeant, dubium esse non potest.

XV.

In magna sententiarum diversitate, utrum in sermonibus sacris id imprimis requiratur, ut ingenio hominum collustrando inserviant, an vero ut animo flectendo, nos quidem cum iis facimus, qui utrumque coniungendum esse statuunt, unum alteri non praeferendum, unum ob alterum non negligendum.

XVI.

Non assentiendum iis est, qui cum Herdero, in literis de studio Theologiae, omnino negandum censeant, religionem Christianam sublimiori carminis generi ansam dare.

XVII.

Nullum neque recentioribus, neque veteribus usitatum genus dicendi tam grave atque tam difficile est, quam quod, ad sacras conciones pertinens, Christiano incumbit doctori.

AAN MIJNEN VRIEND
C. H. VAN HERWERDEN,

TER GELEGENHEID ZIJNER
P R O M O T I E.



N^een! mijn Vriend! gij wilt geen lied'ren
Door een hooge vreugd gekleurd.
N^een! Gij vergt geen blijde klanken,
Van een hart, dat eenzaam treurt.
N^een! slechts zuchten kan ik slaken,
En ik weet, gij wraakt ze niet,
't Zijn de toonen uwer ziele,
Deze toonen van mijn lied,
Karsten! Karsten! ons zoo dierbaar,
Voor ons alles, is niet meer!
Op een wenk der liefd'rijke Almagt
Lei de geest zijn hulsel neer;
't Hulsel, nog wel niet verouderd,
Maar slechts te oud reeds voor den geest,
Hij verliest niet: wij verliezen,
Vrouw en kind het allermeest!
'k Heb gezeten bij de groeve
Die zijn stof in zich bevat,
'k Heb zijn dierb'ren naam gestameld,
En herdacht wat vriend ik had.
Op den zerk mijn knien gebogen,
Op den donker graauwen zerk,
En mijn snikken luid weerkaatsten
Langs den muur der stille kerk.

Eensklaps hoorde ik in de verte
 Naar geklag en droef geween;
 Ik sta op, ik sla mijne oogen
 Gansch verwilderd om mij heen,
 'k Zie de weduw, 'k zie het wichtje,
 Dat zijn handjes tilt omhoog:
 't Vraagt al kan het zelfs niet stamelen,
 Luide ontferming van omhoog!
 Ach de droeven! Wie zal troosten,
 Wie zal lachenissen bien?
 Vader! Vader in den hoogen!
 Moest alzo Uw wil geschien?
 Welk een kelk hebt ge ingeschonken!
 Wrang en bitter is die drank!
 Waarom naamt Gij hem niet weder?
 Of verdient hij zelfs nog dank?
 Dank! — Ja, zoo, zoo moest ik spreken
 Tot de droeve weduwvrouw!
 'k Sprak met afgebroken woorden,
 Overstclpt van bitt'ren rouw:
 »God is liefde! God is Vader!
 »Al Zijn doen is majesteit,
 »Zijne wegen, schoon verborgen,
 »Vlekkelooze heerlijkheid!»
 Dit geloof heur 't hoofd naar boven!
 Ook voor u, mijn waardste Vrind!
 't Zij de Noordstar door uw leven,
 Waarmê gij de haven vindt.
 Dat gestarnte blijve u lichten,
 In u wekken nieuwen moed.
 Laat u nooit den troost ontrooven,
 Wat God werkt is wijs en goed!
 Vindt gij aan de Zeeuwsche stroomen
 Uwen dierb'ren hartvriend niet;
 Is het donker u geworden,
 't Anders heldere verschiet;
 Zult ook gij de plaats genaken,
 Die zoo veel herinn'ring wekt,
 Zullen daar uw tranen stroomen,
 Waar de grond zijn asch bedekt;

Neen! gij beeft niet, neen gij vreest niet,
Vestigt uwen blik omhoog:
God is Vader aller wegen
Leest gij aan den hemelboog!

Spoedig is de tijd genaderd
Die u naar uw standplaats voert,
Ach! mogt u 't geluk verzellen,
Schaars door zorg of leed beroerd!
Maar 'k zie reeds mijn hêe verhooren,
'k Zie een schoone lustwarand,
'k Zie uw gade u bloemen garen,
Distels weert haar zachte hand.
Ja, met ied'ren nieuwen morgen,
Brengt zij nieuwe bloemen aan:
Welk een stroom van balsemgeuren
Die u blij te gast doen gaan!
Smaak mijn vriend! aan haren boezem
Immer 't reinste mingenot,
Dan is uw geluk verzekerd,
Hoe ook keere 't wiss'lend lot,
Steeds omsling'ren vriendschapsbanden
Onze harten, één van zin!
Liefde en vriendschap, zoo vereenigd,
Voeren u den hemel in!

Hall
den 6 September 1826.

M. A. AMSHOFF.



AAN MIJNEN VRIEND

C. H. VAN HERWERDEN,

BIJ ZIJNE PROMOTIE TOT

DOCTOR IN DE H. GODGELEERDHEID.

Hef vriend! het hoofd getooid met palmen,
Hef blijde 't jeugdig hoofd omhoog;
Hoor ons verheugd het feestlied galmen,
Lees, lees de vreugde in ieders oog!
Voel, voel, daar wij de hand u drukken,
Hoe blijde ons, na het welgelukken,
Van uwen strijd de boezem zwelt!
Wij, schoon de winter vast moog naadren,
Wij zien u bloementooi vergaadren,
Door tijd, noch wintervorst geveld.

o! Wel hem, wien de jonglingsjaren
Zoo roemrijk zijn voorbijgevloën;
Wien, bij Minerva's reukaltaren,
De groenende eerkroon wordt geboën!
o! Wel hem, wien de Regters sieren
Met schitterend goud of eerlaurieren,
Als kunde en vlijt den prijs behaalt!
Geen nijd zal ooit zijn roem belagen,
Geen laster aan zijn vruchten knagen.
Geen tong, die schamper schimt of smaalt.

Neent

Neen! neen! als vrienden hoort ge ons zingen,
Ons jublen bij uw vreugdefeest!
Moge onze toon ten hemel dringen,
Als tolk van een ontboeiden geest!
De Vriend van uwe kinderjaren
Wil zich met andre Vrienden scharen,
Hoe klopt hem 't harte blij te moe!
Schoon kracht en zwier zijn lied ontbraken,
Geen vriendschap zal zijn zangen laken:
Het is uw feest! u juicht hij toe!

Dáár staat gij! Vreugde blinkt uit de oogen:
De strijd is uit; de zege is daar;
Het Iö klinkt door 's tempels boogen,
En Iö zingt uw vriendschaar.
o! Heil u, Vriend! na 't roemvol strijden!
Wij juichen, als we u straks zien wijden
Tot Spreker in den naam van God!
Dáár staat ge als Priester op den drempel
Van den aan Hem gewijden tempel.
Juich, 't is uw pligt, om 't heilrijk lot!

Reeds wacht in ver verwijderde oorden
De schaar, uw zorg te toevertrouwd,
Uw komst, uw raad, uw troost, de woorden,
Waar in het harte vrede aanschouwt.
Ga, Vriend! ga uwe taak verrigten!
Gods hulp zal u den last verligten,
Dien gij zoo moedig, vrolijk torscht.
Dáár spreekt Ge als Zijn gezant de tijding,
De bron van troost en zielsverblijding;
Hoe zwelt, hoe gloeit u niet de borst!

o! Mijn verbeelding (laat haar droomen!
Geene uitkomst stell' mijn' geest te loor!)
Ziet u God's tempel binnenkomen
En naar u luistert hart en oor.
Zij hoort u J E Z U S trouwe præken,
Van zijne liefde roerend spreken,
Die ook de kleine kindren mint.
Zij hoort u troost aan droeven brengen,
Die heete, bittere tranen plengen,
Bij Vader's dood, den besten Vrind!

Zij hoort, o troostwoord der genade!
U zondaars brengen vrede en heil;
Gij bidt, als of God door u bade,
» Stelt aan uw zonden perk en peil.»
Zij ziet den wijn in uwe handen;
Geplengd als 't bloed der offeranden,
Gij zegt hun schuldvergeving aan;
Zij ziet u 't brood, als 't heilig teeken
Van J E S U S dood voor zondaars, breken,
En 't oog des zondaars stort een traan.

o Heil u, Vriend! Gij moogt hen roeren,
Uw tael schiep weemoed in hun hart,
Gij moogt hun ziel der zonde ontvoeren,
Hen kneden tot berouw en smart,
o Heil u!.. toef niet! Dengd en vrede
Brenkt gij in woord en daden mede,
En gloort eens 't eeuwig morgenrood,
Dan kroont u Jezus met zijn zegen,
Dan juicht zijn mond u vrolijk tegen:
» Gij reddet zielen van den dood!»

o Vriend! o Broeder! — Hartsontroering
Doordringt me, ik deel in uw geluk
Verbeelding maakt me, in geestvervoering,
De toekomst zonder ramp en druk.
Maar, ach! ligt naakt een nacht van zorgen,
Na d' eersten, blijden, schoonen morgen,
En heeft uw ziel, van schrik vervaard;
Ligt zult gij altijd worstlen, strijden,
Ligt daagt geen morgen van verblijden,
Geen dag, die vreugde uit smarten haart!

Houd moed! wat leed u ook moog treffen,
Uw Heer en Koning blijft u bij!
Houd moed! gij zult weer 't hoofd verheffen,
Hoe groot, hoe bang de nood ook zij!
De last wordt ligt door Gods bescherming,
De zwakheid kracht door zijne ontferming,
Hij schraagt u, waar uw voet bezwijkt.
Hij is uw schild bij 't hevigst strijden
En schenkt u eens, na smart en lijden,
Den krans, die eeuwig groenend prijkt.

Ga, ga dan, Vriend! Mijn beden volgen
U, waar gij ook uw schreden rigt.
Hoe 't storme of woede, en hoe verholgen
De zee des levens voor ons ligt,
Het hoofd omhoog tot God den Vader!
Die, als de beste Gids en Rader,
Ons pad bestaart, zoo wijs en goed.
Wel ons! zoo wij hier, in dit leven,
't Zij: bloem of distlen ons omgeven,
Berusten in hetgeen Hij doet.

De deugd zij 't doel van al ons pogen,
Haar schoon verrukke hart en ziel,
Nooit kwijn haar luister voor onze oogten,
Hoe hard ook haar beoefning viel!
Dan zal de rol, die wij hier spelen
Getrouw aan God, ons vreugde telen,
Bestendig, al ons leven door;
Dan eindigt, na een dengdzaam leven,
Die rol, door God ons opgegeven
Eens met een Hallelujah-koor.

En nu, — vaarwel! . . . God moge u leiden!
God schrage uw voet! God sterke u, vrind!
Vaarwel! . . . de hand nog, eer wij scheiden,
En dan . . . met moed! . . . zij, die gij mint,
Scatine kweeke zachte rozen
Van huwlijks heil, die altijd blozen,
Die, altijd frissche geuren bien!
Vaarwel! Groet Karsten's kil gebeente,
En, dekt ook ons eens 't grafgesteente,
Dat we ons bij God dan wederzien!

Oudega
November 1826.

A. C. VAN ELDIK THIEME,
Theol. Cand.





BS 1635

04672

.D35

Delitzsch

De Habacuci prophetarum

BS 1635

HARPER STORAGE

BS 1635

04672

SWIFT HALL LIBRARY

D35

